



CONGREGATIO GENERALIS XCVIII

9 octobris 1964

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *Ss. Concilii secretarius generalis*:

Venerabiles Patres, festinatio est nostra, non eorum qui egredi debent; nihilominus legimus nomina eorum qui loqui postulaverunt.

Hanc congregationem generalem 98 moderabitur em.mus ac. rev.mus D. card. Leo Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis, et en nomina eorum, qui verbum facere postulaverunt de apostolatu laicorum: em.mi DD. cardd. Antonius Caggiano, arch. Bonaerensis in Argentina; Laureanus Rugambwa, ep. Bukobaënsis in Tanganyika; Leo Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis in Belgio; exc.mi DD. Dionysius Hurley, arch. Durbanianus in Africa Meridionali; Adam Kozłowiecki, arch. Lusakensis in Rhodesia Septemtrionali; Aloisius Barbero, ep. Viglevanensis in Italia; Marcus McGrath, ep. S. Iacobi Veraguensis in Panama; Stanislaus Lokuang, ep. Tainanensis in Sinis; Bernardus Cazzaro, ep. vic. ap. Aysenensis in Chilia; Alexander Carter, ep. S. Mariae Ormen in Canada; Franciscus Šeper, arch. Zagrabiensis in Jugoslavia; Ludovicus Rastouil, ep. Lemovicensis in Gallia; Hilarius Capucci, sup. gen. Ord. Basil. Aleppensis Melchit.; Ignatius de Orbegozo, prael. null. Yauyosensis in Peruvia; Antonius Quarracino, ep. S. Dominici Novem Iulii in Argentina; Eduardus Pironio, ep. aux. Platensis in Argentina; Stephanus László, ep. Sideropolitanus in Austria; Sebastianus Soares, ep. Beirensis in Mozambico; Ioseph Ruotolo, ep. Uxentinus-S. Mariae Leucaden. in Italia; Vilelmus Pluta, ep. tit. Leptis Magnae in Polonia; Aurelius del Pino, ep. Illerdensis in Hispania; Candidus Padin, ep. aux. Fluminis Ianuarii in Brasilia; Alexander Renard, ep. Versaliensis in Gallia; Emmanuel Llopis, ep. Cauriensis-Castrorum Caeciliorum in Hispania; Vilelmus Power, ep. Antigonsensis in Canada; Franciscus Peralta, ep. Victoriensis in Hispania; Fortunatus da Viega, ep. Belgaumensis in India.



1

EM.MUS P. D. ANTONIUS CARD. CAGGIANO
Archiepiscopus Bonaerensis

Em.mi Moderatores, venerabiles Patres conciliares, Auditores et Observatores,

Schema *de apostolatu laicorum*, in sua totalitate consideratum placet et quidem laude dignum videtur, nam certe commissio conciliaris nostrae considerationi rem multae operae ac laboris praesentavit.

Agitur quidem de re magni momenti, scil.: non solum de activitate *catholica*¹ in ordine theorico, sed etiam in ordine practico omnium membrorum Corporis mystici quod est Ecclesia. Quod si efficaciter, quamvis gradatim, obtineretur, certissime Regnum Christi citius expanderetur et mundi consecratio facilius et firmiter collaboratione laicorum *consequeretur*.²

Abhinc non pauca decennia, laici catholici, Summorum Pontificum et episcoporum exhortationes fideliter sequentes, pluribus in nationibus, apostolatu sese devoverunt, passivitate illam repellentes quae sui temporis scandalum constituit, nempe: sensu supernaturalis unitatis in Corpore mystico orbi, magna christianorum pars a hierarchia et sacerdotibus omnia sperantes, ad Regnum Dei diffundendum et defendendum se abstinere, quasi ad Ecclesiam non pertinerent cuius omnium et singulorum membrorum est, in unitate christianae vitae et activitatis apostolicae collaborare.

*Ergo*³ certe, nova era in Ecclesia incepit, Spiritu Sancto omnia praedisponente ad suscitandam, in unitate, vitam et activitatem apostolicam et missionariam Ecclesiae quam Concilium Oecumenicum Vaticanum II, sensu pastoralis, complere enixe intendit.

Placet igitur:

1. Recognitio et commendatio schematis omnium apostolatus formarum sive singulorum et maxime consociati et organizati;

2. Placet etiam declaratio quod: « in praesentibus adiunctis pernece est ut in omni ambitu activitatis laicorum consociata et organizata forma apostolatus roboretur, etenim arcta virium unio sola valet ad omnes apostolatus hodierni fines plene assequendos eiusque bona valide defendenda »;

3. Placet etiam quod « *Salva habita*⁴ cum auctoritatibus ecclesiasticis relatione, *liberius*⁵ libertas laicorum in associationibus organizandis et praesertim in adhaesione eis danda, agnoscat »;



4. Insuper placet *et maxime quidem*⁶ quod etiam libertas episcopatum agnoscatur, in sua propria natione, in seligendis formis apostolatus consociatis et organizatis, quae melius necessitatibus et exigentiis locorum respondeant.

Denique, non solum opportunum sed iustum est quod mentio specialis de « Actione Catholica » facta sit ...⁷. Sufficiant haec verba *Ss.mi Domini Nostri Pauli VI, feliciter regnantis, ad iustificandam talem affirmationem*: « La piena efficienza pastorale — così ha detto il Papa — non può ora concepirsi e raggiungersi senza l'Azione Cattolica, tanto nella sua primigenia espressione diocesana e parrocchiale, quanto in quella delle sue ramificazioni specializzate e rivolte all'apostolato d'ambiente ». « È dovere dei pastori — soggiunse — istituirla, sostenerla e formarla ». E poi: « Saremo grati a quei figli del nostro laicato che vorranno riconoscere nell'Azione Cattolica la via maestra per professare adesione alla Chiesa ».⁸

Tamen cum pro certo habeamus commissioni conciliari « Normas praebuisse praesertim documenta Pontificia », dolendum nimium est hoc in nostro schemate vix apparere: quod quidem sicut pro multis episcopis, etiam pro innumerabilibus laicis de Ecclesia benemerentibus erit certe deceptio. Ad rem sufficiat exemplum: Admissa libertate non solum laicorum sed etiam episcopatum seligendi formas consociatas et organizatas apostolatus, nemo est qui non videat realitatem multiplicium et diversarum formarum Actionis Catholicae hic et nunc existentium.

Igitur aliqua definitio danda erat Actionis Catholicae, quae omnibus et numerosis formis eiusdem responderet, quod quidem factum est quatuor notas enumerando sine quibus Actio Catholica non daretur, *sic in schemate*.⁹

Tamen necesse est distinguere formas organizativas ab ipsa natura apostolatus, quae cum sit determinata et permanens est immutabilis, formae autem eius cum sint accidentales sunt mutabiles: adesse ergo debet pro omnibus formis Actionis Catholicae quaedam definitio communis, qua cognoscamus naturam constitutivam propriam, praetermissis formis organizativis. Et haec definitio data quidam est et recte et a summa auctoritate Pii XI et perfecta a Pio XII in suis documentis quae monumentum sapientiae christianae constituunt.

Cum agatur *ergo*¹⁰ de directione apostolatus Ecclesiae quae, in ordine oecumenico ad supremam *Ecclesiae*¹¹ auctoritatem pertinet, documenta pontificia quae ipsam movent, moderantur et regunt, pertinent ad magisterium ordinarium Summi Pontificis.

*Definitio data a Pio XI*¹² non est definitio alicuius formae organizativae determinatae sed naturae propriae Actionis Catholicae. « Colla-



boratio laicorum in apostolatu hierarchico », quaecumque sit forma organizativa, quicumque sit locus et quodcumque est aut fuit tempus huius collaborationis est definitio naturae Actionis Catholicae...¹³

Silentio igitur praeterire talem definitionem, in qua fundati, episcopi et laici, in multis nationibus menti Summorum Pontificum fideliter responderunt, devote et viriliter pro Regno Christi efficaciter decertarunt, vix intelligi potest neque conveniens et iustum videtur.

Relate autem ad apostolatam laicorum, sicuti relate ad apostolatam ipsius Ecclesiae, principia et doctrina quae ad substantiam problematum attinent tamquam fundamenta sunt quae firmiter teneantur oportet, maxime si ab ipsa summa Ecclesiae auctoritate publice edocta sunt. Tamen in multis non substantialibus et ubi datur opinandi libertas, etiam si suam mentem aliquando suprema *auctoritas*¹⁴ Ecclesiae aperire dignata sit, non est negligenda.

Est etiam alia ratio magni momenti quae a nobis firmiter tenenda est relate ad documenta pontificia circa laicorum apostolatam.

Continuitas progressiva doctrinae Ecclesiae tam de vita supernaturali quam de activitate apostolatus laicorum, in Summorum Pontificum documentis, est realitas evidens.

Sed omnino *necessarium*¹⁵ est ut etiam in applicatione nostra practica istius doctrinae, evidenter appareat illa continuitas doctrinae Ecclesiae in re tanti momenti, sicuti est regimen apostolatus.

Moderator: Em.me Pater, faveas concludere.

Orator: Rogo te concedere brevissima momenta adhuc et finiam.

...¹⁶ Quidquid tamen sit de ipsa forma organizativa Actionis Catholicae, quae libere ab episcopis cuiusque nationis eligi potest, hoc tamen firmiter tenendum est pro omnibus formis organizativis.

Et haec *erit*¹⁷ conclusio:

1. Formatio ad activitatem apostolicam est fundamentalis immo et essentialis;

2. Formatio debet esse tempestiva, incipiendo a pueris. Hanc necessitatem recenter enixe commendavit Summus Pontifex Paulus VI in sua epistula autographa ad episcopatum Reipublicae Argentinae;

3. Formatio debet esse completa et bene fundata in doctrina et motivis supernaturalibus, serio doctrinam sociale Ecclesiae complectens, non solum in ordine theorico, sed etiam in ordine practico, ita ut ipsa formatio ab initio sit simul et theorica et practica, nam Actio Catholica *etiam*¹⁸ in pueris sine activitate intelligi potest;

4. In hac formatione et actione apostolica fiduciam mutuam in-



ter sacerdotes et laicos est omnino necessaria; eius fons est caritas et eius manifestatio est dignitatem et iura propria laicorum in activitate apostolica libenter agnoscere ita ut ad efformandos apostolos responsables in officio quod ipsis committitur clare appareat.

Igitur libere, *eligatur forma organizativa*¹⁹ sed fortiter pro Deo et pro Ecclesia *semper ab omnibus agatur*.²⁰ Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ apostolica. ² consequetur. ³ Tunc. ⁴ debita. ⁵ deest. ⁶ deest. ⁷ in cap. IV, n. 16. ⁸ deest. ⁹ deest. ¹⁰ deest. ¹¹ deest. ¹² Haec definitio. ¹³ Parcite mihi, venerabiles Patres, si in aula conciliari cur mihi et multis Patribus placeat titulus Actionis catholicae exponere audeo. Apostolatus totius Ecclesiae nempe: hierarchiae simul et membrorum, dicitur « Actio Catholica »: *Actio*: quia nota constitutiva apostolatus est actio, quae cum sit totius Ecclesiae, recte dicitur Actio Catholica. ¹⁴ auctoritate. ¹⁵ necesse. ¹⁶ Haec exigentia ex nostra parte non solum prae oculis illa documenta habere, sed etiam illa sobrie sed firmiter patefacere requirit. ¹⁷ est. ¹⁸ neque. ¹⁹ eligamus formam organizativam. ²⁰ agamus.

2

EM.MUS P. D. LAUREANUS CARD. RUGAMBWA

Episcopus Bukobaensis

Venerabiles Patres,

Multa de hoc schemate dici possunt, sed imprimis liceat mihi dicere quod placet iuxta modum: ...¹ duas res addam et pro textu ipso et quoad libertatem agendi in re apostolica laicis debito modo relinquendam.

1. Certo certius in hoc schemate bases dogmaticae desiderantur, sed historia ipsius schematis aliquomodo huiusmodi deficientiam explicat. Ad remedium ponendum in futurum, optandum est ut in unum colligantur ea quae iam convenienter de laicis in constitutione *de Ecclesia* declarata sunt et ea quae de schemate *de Ecclesia in mundo* mox publici iuris *evenient*,² et tandem textus ipse diligenter emendatus. Et sic aliqua summa praesulibus maximae utilitatis evadet de hac materia de qua usque nunc nullum Concilium disseruit.

2. De libertate laicorum in inceptis apostolicis loquar.

Debemusne revocare principium fundamentale totius apostolatus? Vocatio apostolica semper a Domino ipso ad aedificationem totius Corporis mystici Christi originem sumit. « Ipsa christiana professio, ut optime declaravit em.mus praeses commissionis, exigit a renatis in sacramentis initiationis eorum activam participationem ad fovendum ad-



ventum Regni Dei... et in conscientia omnium baptizatorum intimus sensus formetur et firmetur nempe non posse haberi vere christianum quin aliquatenus apostolum se sentiat ». Illa functio vitalis, illud officium originale supprimi nequeunt et iure proprio, moderante Ecclesia, proteguntur. In textu claro clarius et merito de auctoritate pastorum in extenso agitur, sed bene erit et de libertate, de spontaneitate, de iniciativa laicorum etiam convenienter et mente aperta tractare. Sub hoc aspectu textus *perficietur*.³ Duo enim excessus vitandi sunt et auctoritarismus etiam sub aliqua specie pseudo-mystica invadens, et anarchia vel quod illuminismum vocant. Qui ambo ut pestilentiae in decursu saeculorum aliquando saevierunt...

In omnibus membris Ecclesiae, Spiritus Sanctus agit. Etenim constat de existentia ...⁴ charismatum et donorum Spiritus Sancti qui dynamismum Ecclesiae procurat. Experientia ubique testante, Spiritus Sanctus sensum genuinum Ecclesiae ardentem nutrit. Aperiamus oculos ad illum mirabilem synchronismum, qui eodem tempore et in cunctis locis orbis terrarum tam fideles quam pastores profunde et intime *sentire cum Ecclesia facit*.

Quis talem rythmum potentem immo aliquando vehementem illius influxus Spiritus in capite et in membris non percepit?

Illa melior perceptio inter signa temporum accensenda est. Sed ad conclusionem valde practicam deveniam. Sicut in Litteris Encyclicis *Pacem in terris* a Papa Ioanne XXIII sanctae memoriae « principium subsidiaritatis » ad bonam ordinationem activitatis cuiuscumque gradus in societate civili declaratum est, sic magis ac magis applicetur in Ecclesia quae philosophice et theologice loquendo societas perfecta est. Vi cuius principii subsidiaritatis, personae individuae, societates intermediae vel inferiores omnia quae possunt peragere debent; nec illis intempestive substituenda sit auctoritas superioris: quod si nihilominus fieret non sine gravi detrimento totius societatis evaderet. Attamen in casibus extremae necessitatis vel magnae utilitatis vel deficientibus conditionibus recte agendi, auctoritas superior *iure suppletorio* sed unice pro tempore criseos potest, immo debet intervenire.

Unusquisque integre assumat proprias responsabilitates. Fideles non ut minores, tractandi sunt. Educatio christiana sic intelligenda est ut a primaevis annis christiani ad participationem apostolicam formantur in spiritu fidei, magnanimitatis et libertatis filiorum Dei, sub moderamine Petri ceterorumque pastorum quos posuit Deus regere Ecclesiam.

Practice ergo primo loco in textu inseratur principium subsidiaritatis. Ut hoc principium ad apostolatam applicetur, supponitur ex parte auctoritatis visio radicitus in fide fundata et maxima erga collaboratores



fiducia; ac simul ex parte apostolorum laicorum requiruntur una cum libertate necessaria obsequium et oboedientia erga pastores necnon deditio completa ad aedificationem totius Corporis Christi.

« Itaque fratres non sumus ancillae filii, sed liberae, qua libertate Christus nos liberavit ». Agitur de libertate spirituali, quae ex fide gignitur et ad maiorem dilectionem magis ac magis inducit. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ Postea. ² fierent. ³ perficiatur. ⁴ (hodie sicut semper in historia Ecclesiae).

3

EM.MUS P. D. LEO IOSEPH CARD. SUENENS

Archiepiscopus Mechliniensis-Bruxellensis

Venerabiles Patres,

Schema in genere placet, non autem dicta in n. 16, ubi agitur de Actione Catholica.

...¹ Non possumus satis laudare laicos, qui in Actione Catholica generali, speciali et particulari nobiscum laborant in Evangelio...²

Sed praesens quaestio *non est de personis sed*³ utrum textus sub n. 16 ...⁴ satisfaciat ...⁵ vero bono Ecclesiae ...⁶

*Videtur quod*⁷ non! Ibi enim, inter alia, ambiguitas non tollitur de termino A. C., quae ambiguitas consequentias damnosas secumfert *et ibi etiam supponitur theologia non correspondens schemati de Ecclesia, ut iam ab aliis dictum est, quibus accedo.*⁸

*Primum ergo tantum evolvam.*⁹

...¹⁰ Iam natura sua *ipsum vocabulum « Actio Catholica »*¹¹ aptius est ut ipsi reservetur sensus genericus. Sic loquimur v. g. de actione familiari, de actione sociali. Non intelligeretur quod vocabulum Actio familiaris tribuatur tribus vel quattuor organizationibus tantum quae ad bonum familiae adlaborant, non autem aliis eundem finem prosequentibus. A pari pro Actione Catholica.

Nunc vero, ex evolutione historica factum est ut terminus iste in quibusdam regionibus reservetur aliquibus organizationibus tantum *ce-teroquin optimis*¹² et denegetur aliis, quae tamen, ut in textu nostro explicite conceditur, quattuor notas distinctivas ibi recensitas ...¹³ possident. Quod non cohaeret cum logica...¹⁴

...¹⁵ Sed — ne quis dicat litem fieri de verbo tantum — ista discriminatio *non*¹⁶ inservit vero bono Ecclesiae.



Ex momento ipso A. C., bonum Ecclesiae postulat ut ...¹⁷ habeatur *definitio catholica Actionis Catholicae*,¹⁸ i. e.: ...¹⁹ una eademque ubique terrarum...²⁰

Ut sumam unum exemplum confusionis: Legio Mariae in magna parte universi decoratur titulo A. C., non autem ubique. Non intendo rogare ut titulus A. C. ei tribuatur si non placet, sed volo ostendere quod eadem realitas ex arbitrio non potest mutare naturam suam secundum meridianos ex eo quod catalogatur ut A. C. vel non. *Acceptio*²¹ talis associationis vel aliarum similium ab episcopo deberet fieri quoad existentiam tantum in sua dioecesi non quoad essentiam ipsarum.

Ulterius, determinatio *catholica*²² notionis A. C. ...²³ eo magis necessaria est quod textus schematis ...²⁴, ut ita dicam, privilegiat aliquam formam historicam *prae aliis*.²⁵ Verba ita sonant ut quis facile concludere possit alias formas non ita plene et authentice prosequi finem apostolicum *ipsius Ecclesiae*. Quod falsum esset et ...²⁶ nocivum...²⁷

...²⁸ Ad has obiectiones responderi posset forsitan quod, in textu citato, vox apostolatus ipsius Ecclesiae sumitur de facto pro apostolatu *hierarchiae*...²⁹

Si talis est intentio textus, ut ceteroquin ex contextu apparet, verba corrigantur. Sed correctio non tolleretur ambiguitatem fundamentalem: quaedam forma specifica A. C. reservaret sibi quasi monopolium tituli cum, in praxi, detrimento aliarum formarum apostolatus...³⁰

Illa ambiguitas, de cetero, apparet in textu ipso. Paululum supra enim, agnoscit schema quod aliae formae apostolicae ac ipsa A. C. « arctiorem cum hierarchia coniunctionem servant ». Quodsi istae formae alias notas distinctivas in textu memoratas possident, curram perpetuare tale discrimen propter differentiam praesertim iuridicam?

Pius XII ipse locutus est de « multiformi A. C. » et sic iam pluralizavit ab intrinseco istam notionem.

...³¹ Accedit alia consideratio adhuc magis fundamentalis. Quaestio *poni*³² debet: privilegium de quo supra correspondetne adhuc doctrinae elaboratae in schemate *de Ecclesia* et necessitatibus nostri temporis?

Quasi-monopolium tituli facile intelligitur ex rationibus historicis. Quando institutae sunt associationes illae Actionis Catholicae, theologia laicatus nondum elaborata erat et laici plerique passivi se gerebant in Ecclesia...³³

Sed mutantur tempora. Iam novae formae apostolatus laicalis ortae sunt. Immo, speramus omnes ...³⁴ quod ...³⁵ laici semper intensius nobiscum collaborent et sponte nobis proponant novas consociationes ...³⁶. Et officium est nostrum ...³⁷ tales associationes approbare si vere validae sunt. Quodsi, inter illas, quaedam ipsum finem apostolicum Ecclesiae



prosequuntur et alias normas distinctivas A. C. possident, eo ipso ...³⁸ cooperantur cum apostolatu hierarchiae. Et ius habent ut recognoscantur tamquam A. C. sensu pleno (à part entière), salva libertate episcopi propter peculiare rationes talem vel talem formam non recipiendi in sua dioecesi.

...³⁹ Praeterea addere vellem notas distinctivas memoratas in schemate non esse vere distinctivas, *sed hoc in scriptis*.⁴⁰

Propositio. Ideo ad vitandam ambiguitatem et difficultates exinde ortas et oriundas, propono ut textus reelaboretur.

Quoad terminologiam vero: *vel* nomen A. C. fiat terminus genericus, *vel* aliud nomen adaequatum inveniatur quod revera applicari possit realitatibus similibus.

Sed in utraque hypothesi rogo ut modus inveniatur stabiliendi in Ecclesia universa organizationes laicas quoad terminologiam et structuram, sicut fit in iure canonico pro variis formis vitae religiosae.

...⁴¹ Talis propositio *procedit: Ex amore erga Actionem Catholicam. Siquidem*⁴² multo plus quam in uniformitate imposita, haec A. C. novum vigorem inveniet ex illo affluxu novarum virium et ex convergentia et coordinatione variarum consociationum.

...⁴³ Ne imponamus *laicis*⁴⁴ categorias nimis restrictas et uniformes. Si Ecclesia recognoscit tot varietates in organizatione vitae religiosae, maneat aperta, etiam in campo apostolatus laicorum, optiones multae et diversae. Laici enim adulti sunt. Fiduciam illis faciamus et eorum iniciativis apostolicis. Caveamus ab omni specie clericalismi etiam apparentis et a nimia simplificatione realitatis complexae...⁴⁵

...⁴⁶ Aestimando valori suo illas legitimas varietates, ostendemus ...⁴⁷ respectum nostrum pro libertate Spiritus Sancti. Ipsius est in Ecclesia, quando ei placet, semper novos modos charismaticos suscitare in opere apostolatus in collaboratione cum apostolatu hierarchiae. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ Certo certius. ² Et occasione data, ipsis gratias quam maximas agimus. ³ deest. ⁴ claritati. ⁵ et. ⁶ inserviat. ⁷ Certo. ⁸ pro apostolatu multorum laicorum. Ideo textus non placet. Et explico. ⁹ A. C. est vocabulum ambiguum. 1. A. C. melius sumitur in sensu generico. Scimus omnes quod terminus A. C. usque nunc sumitur cum significationibus valde diversis, sive magis genericis, sive magis specificis. ¹⁰ Porro. ¹¹ vocabulum. ¹² deest. ¹³ Actionis Catholicae. ¹⁴ Cur ergo talis ambiguitas confirmari videtur in schemate nostro? ¹⁵ 2. Ista ambiguitas non cohaeret cum vera catholicitate. ¹⁶ nec cohaeret cum vera catholicitate nec. ¹⁷ de ea. ¹⁸ notio vere catholica. ¹⁹ ex una parte. ²⁰ ex alia vero non nimis arcta, ita ut integrare possit omnes legitimas formas apostolatus quae prosequuntur, ut dicit textus schematis, finem apostolicum ipsius Ecclesiae.



²¹ Acceptatio. ²² deest. ²³ vere catholicae. ²⁴ laudat et. ²⁵ A. C. prae omnibus aliis modis apostolatus laicorum. ²⁶ valde. ²⁷ Ista devalorizatio impediret legitimam expansionem aliarum consociationum. Exinde etiam deplorandae dissensiones inter operarios eiusdem Patris familiae. ²⁸ 3. A. C. est multiformis. ²⁹ Nota omnino A. C. esset quod vocatur ad arctiorem cooperationem cum apostolatu ipsius hierarchiae et sub responsabilitate eius magis immediata cum, si casus fert, mandato sive explicito sive implicito. ³⁰ laicorum. ³¹ Monopolium tituli contradicit doctrinae schematis *de Ecclesia*. ³² sequens poni potest et. ³³ Necessarium fuit quod ipsa hierarchia initiativam sumeret promovendi tales consociationes in intima collaboratione secum ad opus evangelizationis. Et certe ius remanet illi ita agere, immo probabiliter talis interventus hierarchiae erit adhuc necessarius. ³⁴ et sperare debemus. ³⁵ ex conscientia renovata suarum partium activarum in Ecclesia. ³⁶ apostolicas. ³⁷ ut in schemate agnoscitur. ³⁸ collaborant vel. ³⁹ 4. Notae distinctivae non sunt vere distinctivae. ⁴⁰ In scriptis hoc evolvam et tradam secretariatu. ⁴¹ Conclusio. ⁴² non procedit ex rationibus tantum negativis sed vere positivis. Loquor enim ex amore A. C., ex aestimatione erga laicos et ex fide erga libertatem Spiritus Sancti. *Ex amore erga A. C.*: siquidem, ut vehementer exopto, collaboratio cum laicis magis in dies crescit, necesse est ut illis adsint mansiones multae intra ipsam notionem A. C. ⁴³ *Ex amore laicorum*. ⁴⁴ illis. ⁴⁵ denegando illi dignitatem A. C. Obstaculum ne imponamus motui vitae et periculum ne incurramus animum auferendi laicis bonae voluntatis quibus tam urgender egemus in opere evangelizationis. ⁴⁶ *Ex fide in libertatem Spiritus Sancti*: « Spiritum nolite extinguere ». ⁴⁷ simul fidem et.

Animadversiones additae:

4. *Elaboratio ulterior criticae textus.*

1. In n. 14 post tres alias formas apostolatus — nempe 1) fines evangelizationis et sanctificationis particulari modo; 2) fines animationis christianae ordinis temporalis; 3) opera misericordiae et caritatis prosequuntur — quarta enumerantur, quae « finem generalem apostolatus *ipsius Ecclesiae* sibi proponit ». Quid significat hic « ipsa Ecclesia »? Tres aliae categoriae apostolatus suntne apostolatus *ipsius Ecclesiae* an non. Si non sunt apostolatus *ipsius Ecclesiae* quomodo recte apostolatus appellari possunt? Sic dubium oriri potest ex textu, an laici considerentur tamquam pars essentialis Ecclesiae? Forsitan sub voce « *ipsius Ecclesiae* » intenditur nonnisi hierarchia.

2. Eadem difficultas, et quidem acrius, oritur ex formulatione, quae in n. 16 habetur, ubi agitur de signis distinctivis Actionis Catholicae. Ibi dicitur: « Finis immediatus huiusmodi organizationum generalis finis apostolicus *ipsius Ecclesiae* est ». Non videtur inculcari finis *generalis* inquantum generalis, alias enim actio specializata a conceptu Actionis Catholicae excluderetur, quod non est intentio commissionis, uti ex nota 13, pag. 19 apparet. Logice subintenditur ergo aliqua species apostolatus organizati, qui non est apostolatus *ipsius Ecclesiae*. Difficile est hoc intellegere. Nonne clam Ecclesia hic simpliciter cum hierarchia identificatur? Aut est intentio, ut fines apostolici earum coadunationum, qui nomine Actionis Catholicae non decorantur, ab apostolatu *ipsius Ecclesiae* aliquomodo excludantur?



Propter hoc et alia dubium exoritur, an non illa terminologia, quae Actionem Catholicam tamquam apostolatus formam magis legitimam vel magis commendatam ab aliis formis separat, Ecclesiologiam nimis unilateraliter hierarchicam supponat?

3. De voce « Actio Catholica », uti in *schemate* (n. 16) proponitur:

Textus in n. 16 perpetuare conatur distinctionem Actionis Catholicae ab aliis variis formis actionum et consociationum laicorum, « quae arctiorem cum hierarchia coniunctionem servantes, fines immediate et proprie apostolicos persecutae sunt ». Talis distinctio et separatio in maiore parte mundi catholici iam per vitam et eventus atque per progressum theologicum superata est. Valde difficile intellegi potest, cur et qua ratione Actio Catholica praeter alias formas stricte apostolicas aliquam speciem particularem constituat et specialioris laudis altiorisque iuris gaudere debeat. Hoc ipsa experientia magistra nec unitati apostolatus laicorum in varietate legitima nec ipsi Actioni Catholicae privilegiatae prodest, cum tentationes monopolii spiritum libertatis, responsabilitatis, cooperationis et continuae adaptationis in periculum vocent.

Ipse textus (n. 16) satis manifestat, quot et qualibus difficultatibus laborat artificialis distinctio Actionis Catholicae ab aliis consociationibus laicorum; quae « fines immediate apostolicos in arcta coniunctione cum hierarchia prosequuntur ».

Enumerantur quatuor notae specificae vel distinctivae, quibus insimul sumptis specialis dignitas et natura Actionis Catholicae eruitur tamquam formae specialius commendandae apostolatus laicorum:

Nota distinctiva *a*) (pag. 14, linn. 27-30) insistit in fine apostolico *ipsius Ecclesiae*. Haec distinctio, uti nobis videtur, non habet sensum, nisi sub voce « Ecclesiae » subintelligitur « hierarchia », quae simpliciter « ipsa Ecclesia » nuncupanda esset; laici autem sic logice per se quodammodo extranei essent ipsi Ecclesiae et apostolatu eius nec essent pars essentialis Ecclesiae. Hoc certe non cohaeret cum intentione schematis. Ille modus loquendi explicatur forsitan ex diversis passibus evolutionis historiae modernae apostolatus laicorum: Primo momento Pius XI quoad fines Actionis Catholicae loquebatur de *participatione* cum ipso munere hierarchico; postea autem praevaluit locutio « *cooperatio* cum hierarchia ». Prior modus loquendi insinuare poterat ideam ac si fines talis apostolatus laicorum per se fines non nisi hierarchiae essent; et in nostro modo clericali loquendi hierarchia videbatur esse « ipsa Ecclesia »; etsi hoc numquam explicite assertum erat. Si autem vox Ecclesia intelligitur uti in *schemate de Ecclesia*, nempe totus populus Dei, totum Corpus mysticum Christi, illud signum distinctivum « ipsius Ecclesiae » nullum habere momentum omnino plane apparet. Non potest enim haberi verus apostolatus organizatus, qui non sit ipsius Ecclesiae.

Sub signo distinctivo *b*) Actionis Catholicae ponitur « modus proprius cooperationis cum hierarchia ». Sed si optima descriptio huius modi sub *b*) attente consideratur, nemo non videt talem modum ex natura rei sic vel sic omni formae authenticae apostolatus laicorum organizati, in quantum « prosequitur fines immediate et proprie apostolicos » communem esse. In omnibus enim istis coadunationibus a laicis expectatur, ut « suam experientiam afferant et responsabilitatem assumant in earum organizationum moderamine, in conditionibus perpendendis » etc. Uti in *schemate de Ecclesia* in cap. IV (n. 37) exponitur, ille sensus responsabilitatis laicorum semper et in omni apostolatus laicorum forma ab hierarchia pro-



movendus est, sicut etiam illa generosa cooperatio cum hierarchia omnem institutionem apostolatus laicorum insignire debet.

Nota distinctiva *c*) effert actionem unitam « ad instar organici corporis, ita ut aptius Ecclesiae communitas significetur et efficacior evadat apostolatus ». Nonne videtur, quod praecise unitas organica totius apostolatus laicorum organizati prohibet, ne titulus honoris Actio Catholica » solummodo aliquibus formis reservetur. In omni genuina coadunatione pro apostolatu laici debent agere uniti, et ita quidem, ut diversae institutiones etiam inter se ad veram cooperationem tendant salva varietate salvoque pari respectu. Invanum autem esset et pro ipsis organizationibus, quae titulo Actionis Catholicae specialiter decorari cuperent et pro aliis, quibus talis titulus denegaretur, aliquem invariabilem gradum unitatis « ad instar organici corporis » imponere, cum sic vera et efficax unitas in varietate et genuina varietas in unitate diminueretur.

Feliciter etiam nota distinctiva *d*) sic caute et universaliter expressa est, ut revera omni genuinae coadunationi laicorum cum « finibus immediate et proprie apostolicis » (cf. pag. 14, linn. 19-20) plane communis sit. Quid enim esset organizatio cum finibus immediate et proprie apostolicis, si non nisi *indirecte* cum apostolatu hierarchico cooperari vel se superiori moderamini ipsius hierarchiae subducere vellet? Etiam quoad hanc notam distinctivam *d*) non agitur nisi de aliqua diversitate gradus vel modalitatis cooperationis directae cum apostolatu hierarchico et dependentiae « sub superiore moderamine ».

Omnes hae notae distinctivae, quae Actionem Catholicam a ceteris formis apostolatus laicorum distinguere et prae illis extollere volunt, vim persuasivam habent solummodo, *a*) si « ipsa Ecclesia » omnino cum hierarchia identificaretur, *b*) si nonnisi per Actionem Catholicam laicis licitum esset cum hierarchia cooperari suam experientiam afferendo, *c*) si ergo Actioni Catholicae soli monopolium talis apostolatus reservari deberet, et *d*) si adhuc (uti quadraginta annos abhinc) Actio Catholica describeretur tamquam directa *participatio* laicorum in munere hierarchico.

4

Exc.MUS P. D. DIONYSIUS EUGENIUS HURLEY

Archiepiscopus Durbanianus

Venerabiles Patres,

Cum pluribus aliis qui ante me locuti sunt, puto schema, quamvis elementa bona contineat, sat radicaliter recognoscendum esse. Cum illis concordo qui de repetitionibus, de carentia substantiae, vigoris, et progressus logici in expositione notionum conqueruntur. Radicem repetitionum et carentiae progressus logici invenio in defectu quoad divisionem et ordinationem partium. Sub hoc capite liceat duo exempla afferre:

1. Schema antequam de finibus in apostolatu laicorum assequendis tractat ...¹ de formatione apostolica agit ...². Hoc certo inversio ordinis logici est, nam formatio apostolica medium est ad fines obtinendos, ideo-



que solummodo post expositionem finium et in ordine ad eos consequendos tractari deberet.

2. Schema separatim agi — de communitatibus et vitae ambitibus (in parte II, ...³ pag. 8-10) et de finibus assequendis (in parte III, pag. 10⁴). Haec separata tractatio mihi infelix videtur, nam si quis de communitatibus et ambitibus loquatur, deberet immediate de finibus in illis consequendis disserere; secus interrumpitur processus logicus et mens cogitur salire ex una parte ad aliam ad videndum nexum inter finem aliquem apostolatus laicorum et rationes propter quas et conditiones in quibus assequendus sit.

Tamquam consequentiae infaustae separatae tractationis finium et ambitum adduco:

a) Par. 10, quae ita in genere loquitur ut nihil dicat quod *alia in prooemio dictum sit, in praesenti prooemio*.⁵

b) Omissionem mentionis renovationis familiae christianae sub capite de finibus assequendis, forte quia de ea iam factus est sermo in capite de Communitatibus et Ambitibus (pag. 8, par. 3).

Ad hos defectus curandos humiliter rogo ut in schematis recognitione ratio habeatur sequentium propositionum:

1. Sit breve prooemium allusionem faciens ad praeclarum illud cap. IV de laicis in schemate *de Ecclesia*. Caput illud theologiam de laicatu pulcherrime exponit; et non video cur, ut aliqui volunt, theologia illa repeti aut augeri debeat in praesenti schemate, eo vel magis quod etiam schema *de Ecclesia in mundo huius temporis* considerationes theologicas proponere intendat. Amorem nostrum erga laicos iam probavimus, locum laicorum in Ecclesia et in mundo iam indicavimus, et in schemate XIII ulterius demonstrabimus. Nonne haec sufficient? Nonne cauti esse debemus ne, ex triplici theologiae laicorum tractatione, oriatur inter laicos, sicut et inter Corinthios temporis S. Pauli, infelix aliqua divisio *seu dicotomia*,⁶ et unusquisque nostrum dicat: Ego quidem sum schematis *de Ecclesia*; ego autem schematis *de apostolatu laicorum*; ego vero schematis XIII. In hoc schemate, venerabiles Patres, contenti simus cum brevi prooemio quod pulcherrimas considerationes theologicas cap. IV schematis *de Ecclesia* in mentem revocet, et sine mora ad res pratico-pastorales accedamus.

Omitti tunc possunt omnia ea, vel saltem longe maior eorum pars, quae in prooemio praesenti et in par. 1 (de participatione laicorum in missione Ecclesiae) et 2 (de apostolatu ab omnibus et singulis exercendo) continentur, quia nihil novi aut utilis dicunt.

*Tunc post prooemium,*⁷



2. Cap. I agat de necessitate apostolatus laicorum *in hodierno mundo*.⁸ Necessitas illustretur enumerando et describendo varios campos seu aspectus vitae, in quibus opus est apostolatus laicorum, et simul exhibeantur fines in istis campis seu vitae aspectibus assequendi; quorum quidam ad Ecclesiam pertinent, alii ad societatem humanam et quidam ad utramque; et ita fiat sermo, e. g., de catechesi, de liturgia, de scholis catholicis, de familia, de apostolatu caritatis, de paroecia et de apostolatu exercendo in ambitu sociali, oeconomico et culturali, respectu praesertim iuventutis.

3. Necessitate et finibus descriptis, procedatur ad tractationem de quibusdam mediis aptis ad apostolatum efficaciter promovendum, scil., de formatione apostolica et de organizatione, et circa unamquamque conficiatur caput speciale.

Huiusmodi ordo rerum tractandarum videtur cohaerentiam logicam melius manifestare. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ (In parte III, par. 9-12, pag. 10). ² (In parte I, par. 3, pag. 7). ³ (par. 4-9). ⁴ ut supra. ⁵ non iam in proemio dictum sit. ⁶ deest. ⁷ deest. ⁸ in mundo huius temporis in specie.

Animadversiones additae:

Inter omnia quae in schemate de apostolatu laicorum inveniuntur aestimo partem illam quae de formatione apostolica agit maximum momentum habere. Est cardo totius tractationis, cardo totius conaminis Ecclesiae in ordine ad apostolatum laicorum fovendum. Quapropter necessarium omnino est ut essentialia istius formationis clare, logice et fortiter exponantur.

Ut hoc revera fiat, humiliter propono ut quaestio duplici sub aspectu tractetur, scil. relate ad diversos status seu conditiones vitae laicorum et relate ad elementa constitutiva formationis apostolicae quae sunt communia omnibus statibus seu conditionibus in quantum in psychologia humana et in divino consilio de hominum salute fundantur.

A. Relate ad diversos status seu conditiones vitae.

1. Formatio apostolica pro pueris incipiat oportet in domo paterna, in qua initiatio in vitam christianam simul initiatio in spiritum apostolicum esse deberet. Hoc manifeste a parentibus pendet, et igitur a formatione quam parentes ipsi, sive ut iuvenes ante matrimonium sive in primis annis matrimonii receperint. Talis deberet esse eorum vita in matrimonio ut impulsus apostolicum per eorum exemplum et influxum educativum filiis suis communicent.

2. In scholis catholicis et in inceptis catechisticis, sicut illa quae a Confraternitate Doctrinae Christianae foventur, formatio apostolica intime cum educatione religiose uniri deberet ad hoc ut, dum pueri fidem vivam et spiritum liturgicum acquirunt et in vita christiana firmantur, eo ipso animo apostolico impleantur.



3. Cura specialis exerceatur circa iuvenes — opifices, studiosos aliosque — durante periodo post scholam et ante matrimonium, periodo scil. in qua fundamenta proxima vocationis iaciuntur, periodo maximi ponderis pro tota vita subsequenti, sicut nos docuit clarissimus et rev.mus Dominus Cardijn, verbo, scripto et praesertim opere, in magno suo apostolatu erga iuvenes.

4. Denique ne pereat tanti laboris fructus, speciale auxilium praebetur novellis familiis. Familiae enim ut medium naturale a Deo ipso conditum pro educatione humana numquam sufficienter aestimari potest, et, uti ab exc.mo Domino Šeper, arch. Zagradiensi audivimus, in certis regionibus manet unicum medium ad formationem christianam impertiendam. Quapropter familia ut medium principale in formatione apostolica laicorum a nobis consideranda est.

5. Speciale etiam praebetur auxilium adultis in vita sociali et oeconomica ut formatio impertita fines optatos attingat.

B. *Elementa constitutiva formationis apostolicae.*

Tria videntur esse elementa constitutiva formationis apostolicae pro omnibus statibus seu conditionibus vitae, unicuique secundum proprium modum et proportionem applicanda:

1. Formatio doctrinalis, quae multum insistat in filiatione divina et in vita Christi per effusionem Spiritus Sancti in nos a mysterio paschali mortis et resurrectionis eius profluente, in vita dico, quae totam Ecclesiae familiam informat, adimplet, coniungit; in vita quae semper tendit ad effluendum et seipsam diffundendam in omnes homines et eorum laborem in mundo ut eum illuminet et consecret et ad perfectionem a Deo volitam perducatur.

2. Participatio liturgica, qua homines in communitate christiana mysterium Christi experiuntur et vitam exinde profluentem accipiunt et quae, ut in hac aula iam pluries dictum est, effectum suum plenum attingere nequit nisi per formationem ad lectionem spiritualem et orationem compleatur.

3. Initiatio practica ad optimos modos vel methodos influxum in alios exercendi — occursibus, colloquiis, exemplo, obsequio, consilio, regimine et auctoritatis exercitio; exclusis semper, ut bene monuit exc.mus D. De Smedt, ep. Brugensis, vexationibus et importunitatibus quae a vero spiritu apostolico alienae sunt.

Formatio apostolica laicorum tanti momenti est in nostro tempore ut in vita pastorali episcoporum et presbyterorum locum eiusdem ponderis ac praedicatio verbi et servitium liturgicum habere debeat non vero cum desiderio dominandi secundum vitium istud clericalismi (si post exorcismos his ultimis diebus peractos corpus Ecclesiae adhuc infestet) sed ad hoc ut laici ad omne opus bonum cum libertate et responsabilitate exsequendum instructi sint. Revera saepe non agitur de opere istius formationis ab ipsis clericis assumendo et perficiendo, sed de occasione et inspiratione laicis praebenda ut hi a clericis adiuti seipsos efforment.

Conclusio mea practica sit illa exc.mi D. Šeper: in omni paroecia et in omni alia communitate christiana, eodem prorsus zelo quo praedicatur verbum et exercetur opus liturgicum, promoveatur constans et perpetuum et bene ordinatum nomen formationem apostolicam laicis praebendi cum ipsorum laicorum generosa cooperatione et participatione.



5

Exc.MUS P. D. ADAM KOZLOWIECKI
Archiepiscopus Lusakensis

Venerabiles Patres, dilectissimi Observatores, Auditores, Auditrices et Periti,

Schema *de apostolatu laicorum* in genere placet. Tamen videtur laborare ...¹ inaccurata ...² et unilaterali descriptione ipsius « apostolatus ».

...³ In pag. 6 (n. 1, linn. 8 ss.) « apostolatus » describitur tamquam omnis mystici Corporis actuositas qua Evangelium Christi annuntiatur et vita hominum eius Spiritu imbuitur. Secundum hanc descriptionem, « apostolatus » ergo restringitur ad Evangelii annuntiationem vel ad contactum directum inter personas, quo Christus mediante verbis vel signis praedicatur. Iamvero, talis descriptio « apostolatus » est nimium arcta et angusta nec satis correspondet traditioni theologicae et magisterio etiam recentissimo. Nam secundum classicam conceptionem vocis « apostolatus » quivis labores, dolores, sacrificia et in genere qualiscumque activitas christianorum ad gloriam Dei suscepta sensu proprio et vero — etsi largiore — dicenda est apostolica, et quidem ideo, quia ad plenioram Ecclesiae vitam nonnihil contribuit. Ad hanc quidem activitatem « apostolicam » omnes christiani virtute ipsius baptismatis tenentur, non vero ad illam quae consistit in praedicatione Evangelii, cum qua tamen conceptus « apostolatus » in schema nostro modo nimium exclusivo identificatur *et contra talem tantum conceptum apostolatus valent obiectiones em.mi card. Browne « nunc fit omnes apostoli, instituit quosdam apostolos »*.⁴

Ex tali inadaequata descriptione « apostolatus » in schemate nostro plures consequentiae minus rectae deducuntur, quarum aliquas saltem hic enumerare liceat:

1. Si « apostolatus » practice cum praedicatione Evangelii identificatur ...⁵, patet « apostolatum » suapte natura per prius incumbere hierarchiae, laicis autem nonnisi in quantum hierarchiam adiuvant et in munere hierarchiae participant ...⁶. Si, e contra, conceptus « apostolatus » rectius intelligitur in sensu largiore, manifestum est dari per plura opera revera « apostolica », quae haudquaquam exclusive in praedicatione orali Christi consistunt nec in primis hierarchiae competunt, sed quae sunt ipsis laicis qua talibus typice propria. Ad talem activitatem vere « apostolicam » pertinent, v. g., tota vita matrimonialis et familiaris authentice christiana ac omnes labores, gaudia et sacrificia statui lai-



corum typice propria, *instructio religiosa a parentibus et familiaribus impertita etc.*⁷ Quae cum ita sint, patet cur placere non possit, quod in pag. 10 (n. 10, linn. 29 ss.) laici dicantur Ecclesiam multimode adiuuare, *eodem modo quod dicit episcopos Ecclesiam adiuuare.*⁸ Ex toto enim contextu manifeste elucet hanc affirmationem modo fere exclusivo referri ad praedicationem Evangelii, non vero per prius ad plenioram vitam Ecclesiae promovendam, quae ad intra est et nonnisi ab interioribus ad exteriora prorumpit.

2. Ex neglectu huius fundamentalis conceptionis, seu ergo ex nimia emphasi in externa praedicatione et loquela de Christo, simul etiam sequitur enuntiatio alicuius principii quod necessaria qualificatione indiget. In pag. 9 enim ...⁹ de toto apostolatu laicorum statuitur *simpliciter*¹⁰: nihil agendum esse *sine episcopo*. Tale principium omnino rectum est, si agitur de « apostolatu » in sensu nimium restricto quam haec vox in schemate habet. Utique enim verum est in exteriori praedicatione Evangelii nihil fieri debere quod sit contra episcopum vel in completa independentia ab ipso: et talis est unicus sensus verborum quae in schemate ex epistula S. Ignatii Antiocheni ad Trallianos citantur; *epistula scripta erat ad clerum.*¹¹ Assertio nihil agendum esse sine episcopo iam falsa est, si insinuat omnem iniciativam in ipsa immo praedicatione vel loquela externa de Christo *v. g. in familia*¹² pertinere ad episcopum. Sed plane absurda haec verba fiunt si sic et simpliciter ad totum apostolatum laicorum applicantur quippe qui haudquaquam exclusive in tali praedicatione Christi consistit.

3. Est aliud punctum recensendum quod cum praecedentibus arcte cohaeret:

Spiritus, ubi vult, spirat (*Io. 3, 8*) nec nostrum est Spiritui Sancto praescribere ubinam spirare debeat. Tamen in pag. 8 (n. 6, linn. 30 ss.) rotunde dicitur: « Laici se alant vita liturgica ...¹³ ». Haec phrasid « *Se alant vita liturgica* » minus placet, sed « *Laici se alant vita liturgica in paroecia* ».¹⁴ Omnino necessarium est ut haec propositio modificetur per additionem alicuius particulae, addendo *v. g.* verbulum « praesertim » *in paroecia*¹⁵ vel « si fieri ...¹⁶ potest ». Nam etiam hodie Spiritus Sanctus suscitare potest in Ecclesia novum S. Ioannem Mariam Vianney, vel alios Sanctos, qui homines cum Deo reconciliabunt, quamvis illi « *vita liturgica se alant* » extra eorundem paroeciam vel immo in ecclesia quae non est *necessario*¹⁷ ecclesia paroecialis. Evitetur proinde omnis institutionalismus, nimia organizatio, et, e contra, regia libertas laicis concedatur hac in re.

Uti patet, omnibus quae dixi, nequaquam diminuere intendo legitimam auctoritatem quam episcopi, vi muneris sui, possident in populo



Dei docendo, regendo, pascendo. Firmiter mihi persuasum est id esse ius et officium episcoporum, ut proponant et — si casus fert — etiam imponant sana principia et doctrinas catholicas de vero apostolatu fidelium. Immo censeo hanc auctoritatem in hodiernis adiunctis *ob conclusionem discussionum in duobus sessionibus in Concilio Oecumenico*¹⁸ interdum plus quam hucusque in omni humilitate et spiritu servitii esse exercendam. Sed id quod in schemate simpliciter placere nequit est illa conceptio angusta et restricta « apostolatus » qua navitas apostolica laicorum manifeste reducit ad subsidium apostolatus hierarchici et proinde simpliciter subicitur iurisdictioni et ordinationi episcoporum ac si revera in tota vita Ecclesiae iam nihil fieri deberet sine episcopo et institutionibus iuridicis. *Tam multa de libertate religiosa locuti sumus, non restringamus sine necessitate libertatem nostrorum laicorum; relinquamus etiam aliquantulum libertatis Spiritui Sancto, spiret sibi ubi vult, et in hoc totaliter supporto em.mum card. Suenens.*¹⁹ Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ defectu quodam fundamental. ² nempe.
³ Etenim. ⁴ deest. ⁵ h. e. cum externa loquela de Christo. ⁶ Munus
enim praedicandi et docendi per prius sacris ministris incumbit. ⁷ Haec
omnia in sua integritate sunt « apostolica » et nullo pacto identificari possunt
cum praedicatione vel directa loquela de Christo. ⁸ deest. ⁹ (n. 6,
lin. 6). ¹⁰ deest. ¹¹ deest. ¹² deest. ¹³ in paroecia. ¹⁴ deest.
¹⁵ deest. ¹⁶ commode. ¹⁷ deest. ¹⁸ deest. ¹⁹ deest.

6

Exc.MUS P. D. ALOISIUS BARBERO

Episcopus Viglevanensis

Patres venerabiles, Auditrices, Auditores et Observatores carissimi et clarissimi,

Loquar de natura vocationis laicorum ad apostolatum necnon de mandato ex parte hierarchiae.

Schema agit de vocatione apostolica laicorum. Sed in enucleanda notione huius apostolatus consulto abstinet a distinctione inter apostolatum in sensu stricto et in sensu minus, sicut dictum est in relatione — pag. 8, n. 3 — et genericè loquitur affirmando « vocationem christianam, natura sua, esse vocationem ad apostolatum » (pag. 6, lin. 1).

Ex quo logice consequitur non amplius esse necessarium mandatum a hierarchia, quod mandatum semper exstitit peculiare et firmum signaculum pro his qui ad apostolatum sese devovebant.



Dicitur enim in relatione schemati adnexa (pag. 51): « Adsunt enim qui tenent inutile esse novum hoc elementum ut apostolatus laicorum authenticetur, quia ille fluit ex sacramentis baptismatis et confirmationis.

Omnis baptizatus ipso facto habet mandatum ad apostolatum in dependentia a suo episcopo ».

Sed variae quaestiones: de vocatione, de notione et natura apostolatus, necnon de necessitate mandati non pendent tantum — meo submisso iudicio —, a distinctione inter apostolatum hierarchicum et apostolatum laicum, sed maxime inter ipsum apostolatum laicum sensu lato vel sensu stricto intellectum, uti semper fecit Summus Pontifex Pius XII, veneratae memoriae, in multis sermonibus, quibus talis apostolatus lucide enucleatur, immo codificatur.

Mihi pergratum est hodie, in die anniversaria beatissimi transitus tanti Pontificis, aliqua magni ponderis documenta recollere.

Quid nomine apostolatus, lato sensu, veniat bene indicavit in allocutione ad « Congressum universalem apostolatus laicorum », die 14 octobris 1951.

Cito italice quia Summus Pontifex tunc non adhibuit linguam latinam:

« Tutti i fedeli senza eccezione sono membri del Corpo Mistico di Cristo. Ne consegue che la legge di natura, e più ancora la legge di Cristo, li obbliga a dare il buon esempio di una vita veramente cristiana. Certo non è facile tracciare con precisione la linea di demarcazione dalla quale comincerà l'apostolato dei laici propriamente detto. Per esempio: bisogna comprenderci l'educazione data dalla madre di famiglia, o dai maestri e maestre presi da santo zelo; oppure la condotta del medico celebrato e francamente cattolico, o anche l'azione di un uomo di Stato cattolico per una vasta politica della causa per i meno favoriti?

Molti propenderebbero per la negativa non vedendo in tutto ciò che il semplice compimento lodevolissimo, ma obbligatorio del dovere di stato ».

Huiusmodi apostolatus, cui tenentur omnes baptizati, licet sit magni momenti et plurimos fructus maturescat, non indiget « mandato » ut dixit idem Pius XII in Allocutione ad Unionem Internationalem Organizationum Mulierum Catholicarum — die 29 septembris 1957: « ... Questa iniziativa dell'Apostolato laico si giustifica perfettamente anche senza "missione" preliminare ed esplicita della Gerarchia ». Porro incongruum apparet loqui de « vocatione », uti in nostro schemate: « Vocatio christiana natura sua vocatio est ad apostolatum »,

quippe quod sit officium vel obligatio a condicione christiana promanans.

Loqui de « Vocatione » ad significandam omnium communem obligationem ambiguitati et confusione ansum praebet, quia « vocatio », communi sensu accepta, invitationem significat ad altiore statum vitae christianae.

Quid postea veniat nomine apostolatus sensu stricto adhuc invenimus in allocutione Pii Papae XII ad II Congressum Universalem Apostolatus Laicorum — die 5 octobris 1957 — ...¹: « Noi elaboriamo qui il concetto di Apostolato dei Laici in senso stretto: esso consiste nell'assunzione da parte dei laici dei compiti che derivano dalla missione affidata da Cristo alla sua Chiesa ».

Ex hoc clare consequitur apostolatam laicorum participationem vel cooperationem esse cum apostolatu hierarchico.

Ideoque sicut ad exercendum apostolatam hierarchicum necessaria est vocatio, quae, ut omnes scimus, duplici constat elemento: ex parte Dei unum, alterum ex parte superiorum; ita pariter laicis, ut apostolatam sensu stricto exercere valeant, necessaria est similis vocatio, *et quidem ex natura rei, quia Ecclesia eos assumit in certis obeundis muneribus quae Christus ei commisit.*

Eodem modo ista vocatio duplici constat elemento: a) *divino*: nempe dotes morales, intellectuales, physicae etc. necnon practicae possibilitates ad hunc laborem; b) *humano*: scil. « mandatum hierarchiae ».

En verba Pii XII in Primo Congressu Universali Apostolatus Laicorum ...²:

— *Quoad elementum divinum*: « Si può affermare che tutti sono egualmente chiamati all'Apostolato nella stretta accezione della parola? Dio non ha dato a tutti né la possibilità né le attitudini. Non si esigerà che si accolli le opere di questo Apostolato la sposa, la madre che alleva cristianamente i figli... La vocazione di apostoli non si rivolge dunque a tutti ».

Quod iterum dixit in II Congressu Apostolatus Laicorum ...³: « Non tutti i cristiani sono chiamati all'apostolato in senso stretto. Noi abbiamo già detto che il Vescovo dovrebbe poter prendere dei collaboratori tra coloro che trova *disposti e capaci*, giacché non basta la sola disposizione ».

— *Quoad elementum humanum*, scil. « mandatum », en quid dixit Pius XI: « Christifidelibus igitur qui sic ...⁴ in unum coaluerint, ut ad nutum hierarchiae praesto sint, sacra ipsa hierarchia, quemadmodum *mandatum* impertit sic incitamenta ac stimulos adiicit » (...⁵ Epistula ad card. Bertram, anno⁶ 1928).



Pius XII in Epistula *Omnibus qui nostrum* (anno⁷ 1953) ad Praesidem Secretariatus Foederationis universalis Congregationum Mariae dicit: « Ut iam saepe monuimus Congregationes Mariales semel ac constitutae sunt, ipso iure et pleno Actio Catholica dicendae sunt. Per novam universalem Foederationem Congregationes Marianaе in sua indole hierarchica nullum detrimentum patientur nec novo, *dico novo*,⁸ indiget “ mandato ” ».

Denique notatu dignum quod huiusmodi mandatum non datur associationibus sed singulis earum asseclis.

In citata Allocutione in II Congressu Apostolatus Laicorum Pius XII adhuc dicit: « Il mandato, soprattutto quello di insegnare, non è conferito all’Azione Cattolica nel suo insieme, ma ai suoi membri organizzati in particolare secondo la volontà e la scelta della Gerarchia ».

Conclusiones:

1. Ut de vocatione laicorum possimus loqui, de apostolatu « stricto sensu » agatur oportet.

Quae vocatio constat elemento divino (qualitates), et elemento humano (mandatum hierarchiae).

2. Cum Actio Catholica sit quaedam forma, ne dicam princeps forma, apostolatus laicorum sensu stricto, et ad ipsius Ecclesiae constitutionem pertineat, uti dixit elapso anno Summus Pontifex Paulus VI, feliciter regnans, « appartiene al disegno costituzionale della Chiesa » — clare elucet necessitas « mandati », saltem impliciti, ex parte hierarchiae.

3. Opto ut distinctiones, de quibus supra, clare enuncientur in nostro schemate, quod ita nullo modo clericalismo laborare inde videbitur quia...

Moderator: Faveas concludere, Pater.

Orator: ... integro manente eorum campo et libertate, laici a hierarchia vocantur, habilitantur in ipso apostolatu hierarchico et exaltantur. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: ¹ (Six ans se sont écoulés). ² (1951). ³ (1957).
⁴ coiverint atque. ⁵ Quae nobis haud ita. ⁶ 13 nov. ⁷ 2 Iul.
⁸ deest.

Secretarius generalis: Expectate aliquantisper, Patres venerabiles! Feria II proxima erit visitatio diplomatica ad Summum Pontificem et hac occasione forum S. Petri per aliquas horas vacuum manere debet. Quapropter rogantur Patres qui habent proprium autocinetum, nempe



« automobile », ut si hoc autocinetum ducatur ab alio, hic alio loco stationem faciat et postea in fine sessionis veniat iterum ad S. Petrum. Si vero autocinetum ducatur ab ipsis Patribus, tunc iidem Patres velint indicationes sequi quas dabunt vigiles, nempe ita ut autocineta stationem faciant extra forum S. Petri. A. v.: sequantur omnino — rogantur ut hoc faciant — indicationes vigilum. Gratias.

7

EXC.MUS P. D. MARCUS GREGORIUS McGRATH
Episcopus S. Iacobi Veraguensis

Venerabiles Patres,

Loquor nomine *plusquam* 30¹ episcoporum ex America Latina.

Sicut iam plures Patres dixerunt, schema nostrum « De apostolatu laicorum » debet in initio illa praecipua principia de apostolatu laicorum ex schemate de Ecclesia iterum breviter praesentare, ita² ut unitas doctrinae huius Concilii pateat; et secundo ut hoc schema propriam consistentiam in se habeat, tali modo ut in posterum ab omnibus, praesertim a laicis legi poterit sine constanti referentia ad schema dogmaticum de Ecclesia; et tertio, ut omnia illa quae in schemate de praxi asseverantur evidentius eruuntur ex doctrina, etenim aliter minori valore gaudent, citius negliguntur, quandoque etiam ambiguitate laborant et non bene in ordine proponuntur.³ In concreto:

1. Primus numerus opportune declarat quod nullus in Ecclesia passivus esse debet; omnes enim ius et officium habent ad apostolatam. Attamen fundamentum huius apostolatus pro laicis incomplete et nimis concinne in *tribus lineis*⁴ annuntiatur. Comparentur hae lineae cum par. 10 capitis « De populo Dei » in schemate *de Ecclesia*. Duae notiones *hic*⁵ desunt, vel saltem non explicite traduntur uti oportet: scil., *effectus* sacramentorum baptismi et confirmationis praeter characterem, gratia nempe, qua fideles « per regenerationem et Spiritus Sancti unctionem consecrantur in domum spiritualem et sacerdotium sanctum », ut filii Dei, « seipsos hostiam viventem, sanctam, Deo placentem » exhibentes in omnibus suis actionibus; et, secundo, relatio huius sacerdotii communis ad sacerdotium ministeriale sive hierarchicam, quae inter se essentia differunt sed intime connectuntur, unumquodque suo modo participantes de uno Christi sacerdotio. Sic ex initio huius schematis, sicuti in ipso schemate *de Ecclesia* debet fieri de illa fundamentali vocatione laicorum quae est omnium *membrorum*⁶ in Ecclesia, *i. e.*⁷ ut populus Dei...⁸



Si hoc non clare affirmatur in initio expositionis, periculum adest, uti iam plures Patres dixerunt, ut apostolatus laicorum proprius iterum evanescat et reducuntur laici ad statum passivum, nisi ab hierarchia in actionem moveantur.

2. Vox « apostolatus » debet in textu melius explicari et in doctrina de communi sacerdotio omnium fidelium fundari, sicut in schemate *de Ecclesia* iam factum est...⁹

Vox « apostolatus » enim tum in hoc schemate cum in alio *de Ecclesia* sumitur ad significandum plus minusve omne exercitium sacerdotii unici Christi a nobis iuxta partem quam habemus, quod a laicis fieri debet iuxta sacerdotium commune quod acceperunt.

Hoc sacerdotio autem deputantur laici ad « cultum religionis christianae » et ad professionem eorum fidei coram hominibus. Haec duo munera sacerdotii communis exercenda sunt subordinate ad sacerdotium ministeriale et ad magisterium, quae in sacra potestate hierarchiae continentur. Idem dicendum esset de participatione laicorum in omnibus illis actis vel associationibus Ecclesiae, quae directe manant de Ecclesia ut institutio cultus et magisterii, necnon de omni apostolatu vel exercitio caritatis acto ab Ecclesia in quantum Ecclesia est. Non autem idem dicendum est de omni exercitio sacerdotii communis fidelium quod « per virtutes ad actum deducitur », *sicut describit S. Thomas regale sacerdotium in se*.¹⁰

Hoc autem fit a laicis, *i. e. reductio sacerdotii regalis ad actum per virtutes*,¹¹ iuxta peculiarem rationem eorum vitae, crebrius quatenus sunt humanae societatis membra quam in quantum Ecclesiae aggregantur.

3. Venerabiles Patres, debemus prae mente habere in omnibus istis observationibus duo facta: 1. quod laici constituunt *plus quam*¹² 99% membrorum Ecclesiae; sunt enim maxima pars populi Dei in cuius servitium nos constituti sumus; 2. quod longe maior pars laicorum non numerantur inter membra associationum apostolicarum ab Ecclesia recognitarum. Certe certius debemus insistere ut numerus laicorum in his associationibus augeatur, quia eorum labor semper et praesertim hodie Ecclesiae valde necessarius est. Nihilominus multi, etiam semper maior pars laicorum, non numerentur in illis *associationibus*,¹³ multis ex rationibus *honestatis*,¹⁴ paupertatis nempe, vel aliarum occupationum. Immo dicendum est quod multi non debent active cooptari in nostris associationibus fidelium quia munus quod exercent in humana societate maioris utilitatis est et societati et perinde Ecclesiae etiam, utpote mater est et vult esse omnium hominum. Quid autem de omnibus istis laicis? Num non adimplent sincere eorum vocationem ut christiani? Num non



possunt etiam in summum gradum sanctitatis pervenire *in eorum laboribus in mundo*¹⁵? Illi omnes qui postea legent schema nostrum de apostolatu laicorum, num sese invenient in illo? Ex eo quod operantur in mundo, uti membra humanae societatis, debent sincere collaborare cum omnibus hominibus qui veros valores promotionis hominis eiusque civilisationis et culturae promovent; nec egent approbatione hierarchiae pro illis decisionibus quando in campo proprio agunt, etiamsi haec decisiones valores morales implicant. E contra, nostrum est munus illos tali modo in spiritu Evangelii et doctrina Ecclesiae efformare ut quando iudicent, iuxta mentem Christi iudicia *proferant*.¹⁶ Forse numquam plus quam hodie eget Ecclesia hominibus qui iuxta mentem christianam *fortiter responsabilitatem suam et generose impleant collaborantes*¹⁷ ut societas nova quae nostris temporibus extruitur in iustitia et caritate crescat. Nonne debemus illos clarius adloqui ut videant plenum sensum earum *responsabilitatis et*¹⁸ vocationis in Christo et in Ecclesia?

Ne dicatur aliquis quod haec insistencia de actione laicorum in mundo proprio et propria sua responsabilitate minuit momentum actionis et formationis proprie religiosae, praesertim per illos coetus « *specializatos* » qui varios campos (seu milieux) mundi hodierni christiane sanare volunt. Revera catholici qui in mundo laborant semper sal terrae esse debent et numquam saporem eius amittere. Sed pro hac egent formatione non tantum in sua iuventute sed indesinenter, formatione nempe spirituali et intellectuali in fide et in vita spirituali. Nonne hoc est maximum munus coetus *et coetuum*¹⁹ qui vocantur hodie communiter Actionis Catholicae — non tantum neque solum formationem eorum membrorum quaerere sed etiam omnium christianorum qui cum illis in mundo laborant. Scimus quantum nostri catholici moderni egent et etiam desiderant exercitia spiritualia, « *cursillos de cristiandad* », et *omnem aliam institutionem*²⁰ ad illorum fidem et vitam in Christo efformandam *ut*²¹ veremodo hominibus inserviant sicut Christus voluit *et vult*²² et sic hoc mundo utentes non illo abutantur, sed e contra per temporalia sic transeant ut aeterna aliquomodo parent et etiam mereantur, quippe qui sunt filii Dei etiam nunc, expectantes illam magnam gloriam, quae postea in Christo revelabitur.

*Concludo. Alia*²³ particularia tradam secretariatus in scriptis ad meliorem ordinem schematis iuxta principia enuntiata. In genere puto ut schema melius vitet nimia particularia quando agit de apostolatu laicorum, quia haec in unaquaque regione et natione diversi modo evolvere possunt. Munus Concilii est potius lineamenta magna apostolatus lai-



corum stabilire et in doctrina de eorum magna dignitate ut filii Dei et participes eius communis sacerdotii explanare. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: ¹ 35. ² Valde placet quod adhuc exstat hoc schema de *apostolatu laicorum*. Certum est, ut nuper scripsit aliquis, quod Concilium Vaticanum II in historia memorabitur ut Concilium promotionis laicorum in Ecclesia. Neminem fugit quantum hoc convenit vitae Ecclesiae huius saeculi; etenim momentum et impetus apostolatus laicorum, inde ab initio saeculi, una cum reditu doctrinali ad Patres et sensum pleniorum primorum saeculorum, intime coniungitur. Nonne effectus profundus Litterarum Encyclicarum *Mystici Corporis* in tota vita et conscientia Ecclesiae magna ex parte ex eo habitus est ut ubicumque in Ecclesia innumeri coetus apostolici laicorum illas exspectabant et in eorum vitam spiritualem in praxim deducebant? Vero sensu enim vox temporis vox Dei est; et Ecclesiae sollemne magisterium illas magnas quaestiones illustrat quas tempus exigit. Saeculo praeterito formalis definitio primatus et infallibilitatis Summi Pontificis tempestive recoluit ac affirmavit illud «perpetuum utriusque unitatis principium ac visibile fundamentum», iuxta verba Concilii Vaticani I, scil. «ut ... episcopatus ipse unus et indivisus esset, et per cohaerentes sibi invicem sacerdotes credentium multitudo universa in fidei et communionis unitate conservaretur». Nostro autem tempore doctrina illius Concilii, qua unitate Ecclesiae in Petri successore sollemniter affirmata est, completur doctrina collegii episcoporum qui una cum et sub Romano Pontifice regunt Ecclesiam Dei, et pleniori descriptione ipsius Ecclesiae ut populus Dei in quo, iuxta verba schematis nostrae constitutionis *de Ecclesia* «communis (est) dignitas membrorum ex eorum in Christo regeneratione, communis filiorum gratia, communis ad perfectionem vocatio, una salus, una spes indivisaque caritas». Sicut unitatis principium abhinc centum annos affirmata est contra tot pericula quae Ecclesiae auctoritatem minabantur; ita nunc praevisa est de diffusione Ecclesiae universo orbe, sub ductu magisterii omnium episcoporum, et magna ex parte, in moderna societate «saecularizata» ut ita dicam et pluralista, per vitam et actionem laicorum cuius vita, iuxta nostrum schema *de Ecclesia* «tota ratione... peculiariter... ad res temporales gerendas» ordinatur. Principia doctrinalia pro apostolatu laicorum iam perpulchre delineantur in schemate constitutionis *de Ecclesia* passim et praesertim in capitibus «de populo Dei» et «de laicis». Schema praeiacens *de apostolatu laicorum* opportune intendit illa principia enucleare ut sint normae fundamentales apostolatus laicorum. Iam a multis dictum est hoc non satis fieri. Facile intelligendum est, ex una parte, ex eo quod auctores schematis illud conficere debuerunt mense martii antequam prae oculis habere potuissent novam redactionem schematis *de Ecclesia*. Exinde multae praecisiones quae illic introductae sunt, in praesenti schemate *de apostolatu laicorum* adhuc desunt. Ex alia parte, autem, auctores schematis consulto partem doctrinalem huius schematis restrinxerunt, ecquidem, meo sensu, nimis. Patet quod schema non debet omnia repetere ex schemate *de Ecclesia* quae ad laicos pertinent. Sed aequae patet hanc doctrinam sufficienter revocari debere: primo. ³ Praecipua elementa doctrinalia quae fundamenta apostolatus laicorum praebent, debent ex alio schemate in initio cap. I colligere, una saltem pagina, et sub eorum luce omnia alia exponi, firmiore evidentialia, meliore ordine et claritate. ⁴ linn. 9-13. ⁵ deest. ⁶ deest. ⁷ deest. ⁸ in



quo, iuxta verba schematis nostrae constitutionis *de Ecclesia* « communis (est) dignitas membrorum ex eorum in Ecclesia regeneratione, communis filiorum gratia, communis ad perfectionem vocatio, una salus, una spes, indivisaque caritas ». Omnis populus Dei, etenim, vocatus est ad apostolatam, ut sal terrae et lux mundi, ex dignitate et gratia qua sunt filii Dei, sine necessitate ullius missionis explicitae ab hierarchia. ⁹ Communi loquela « apostolatus » significat actionem quae tendit ex professo in effectum religiosum. Attamen conclusio quae eo in textu huius schematis, pag. 6, lin. 3, sic etiam definitur. Attamen conclusio quae eo statim eruitur, nempe quod omnes christiani ad apostolatam obligantur, non parvam ambiguitatem praebet, sicut iam alii Patres animadverterunt hac in aula, ex eo quod non distinguitur inter effectum religiosum qui habetur in propagatione fidei et Ecclesiae, et alium effectum religiosum omnino validum et apostolicum qui consistit in praxi virtutum ad ordinem temporalem sanandum et elevandum. ¹⁰ Schema *de Ecclesia* in capite « de laicis » n. 36, affirmat: « Propter ipsam oeconomiam salutis, fideles discant sedulo distinguere inter iura et officia quae eis incumbunt, quatenus Ecclesiae aggregantur, et ea quae eis competunt ut sunt humanae societatis membra ». Haec distinctio directe manat ex illa alia a S. Thoma prompta, nempe quod « Indoles sacra et organice exstructa communitatis sacerdotalis et per sacramenta et per virtutes ad actum deducitur ». Momentum huius distinctionis permagnum est. Sacerdotium fidelium in quantum regale sacerdotium vocatur, iuxta S. Thomam, ut clare explicavit em.mus card. Browne, non in linea cultus ponitur (videsis III, 82, 1 ad 2), sed potius in exercitio omnium virtutum moralium. ¹¹ deest. ¹² deest. ¹³ deest. ¹⁴ honestis. ¹⁵ deest. ¹⁶ proferunt; non autem iudicia pro illis facere intendere, de quarum circumstantiis nos plerumque parvum scimus et de cuius consequentiis nos nullam responsabilitatem habemus. Schema *de Ecclesia* autem clare affirmat illos debere satagere ut munera eorum in mundo adimpleant « christiana conscientia » ducti. Ecce quomodo sacerdotium regale in mundo exercent — per virtutes christianas, valide laborando ut vera iustitia et caritas habeantur in humana consociatione. En quomodo sese offerre debent, in oratione et liturgica actione cum Christo ut hostiam viventem Deo placentem. Nonne omne hoc clarius dicendum esset in nostro schemate, ubi quasi per transennam tantum tangitur extensio laicorum apostolatus ad ordinem temporalem, et non satis distinguitur de illis apostolatus formis Ecclesiae quae ex sese hierarchiae subordinatae esse debent? ¹⁷ generose collaborent. ¹⁸ deest. ¹⁹ deest. ²⁰ omnis alia institutio. ²¹ in. ²² deest. ²³ Aliqua.

[*Subsignaverunt etiam*] J. Podestà, ob. Avellaneda; Albert Devoto, ep. Goyanensis; E. Pironio, ep. tit. Caeciritanus; Antonius M. Aguirre, ep. S. Isidori in Argentina; Vicente Zazpe, ob. Rafaela.

[*Adhaeserunt etiam*] Arrieta, Costa Rica; Graziano, El Salvador. *Ex Chilia*: Emmanuel Sánchez, arch. Ss.mae Conceptionis; Aemilius Tagle, arch. ep. Vallisparadisi; Alexander Durán, ep. S. Caroli de Ancud; Franciscus Valenzuela, ep. Antofagastensis; Henricus Alvear, ep. aux. Talcensis; Franciscus Fresno, ep. Copiapen.; Helladius Vicuña, ep. Chillanen.; Wladimirus Boric, ep. Puntarenen.; Iosephus A. Castro, ep. S. Philippi; Franciscus Gillmore, ep. tit. Auzien. Vic. Castrensis; Radulphus Silva, ep. aux. Rangaguen.; Emmanuel Santos, ep. Valdivien.; Augustus Salinas, ep. Linaren.; Iosephus Valle, ep. aux. Iquiquen.; Ber-



nardinus Piñera, ep. Temucen.; Franciscus Valdés, ep. Osornen.; Carolus C. Hartl, ep. tit. Estratonicen. vic. ap. de Araucania. *Ex Colombia*: Arcturus Duque, arch. Manizalen.; Raphael Sarmiento, ep. Ocanen.; Petrus Rivera, ep. de Socorro et S. Gil. *Ex Aequatoria*: Candidus Rada, ep. Guaranden. *Ex Mexico*: Sergius Méndez, ep. Cuernavacen. *Ex Bolivia*: Armandus Gutiérrez G., ep. aux. Pacensis; Georgius Manrique, ep. Oruren. *Ex Uruguay*: Marcellus Mendiharat, ep. tit. coad. Salten.; Robertus Cáceres, ep. Melen.

8

EXC.MUS P. D. STANISLAUS LOKUANG

*Episcopus Tainanensis**Venerabiles Patres,*

Perdurante cursu laboris ad praeparandum schema de missionibus, commissio de apostolatu laicorum ea omnia quae ad apostolatam laicorum in terris missionum pertinent, ad commissionem de missionibus remisit. Haec commissio ea elementa attente studuit et omnia principaliora elementa in suum schema recepit in *cap. III et IV « De formatione missionali » et « De cooperatione missionaria »*.¹ Nunc vero schema praesens de activitate missionali Ecclesiae textum praecedentem in formam propositionum reduxit et plura elementa extra textum relinquit. Inter elementa relicta sunt etiam illa quae ad apostolatam laicorum referuntur. Adest quidem una propositio de debito missionali laicorum in schemate *de activitate missionali*, sed pauca dici potuit in una sola propositione.

Pluribus igitur Patribus visum est peropportunum immo necessarium esse quaedam addere in schemate de apostolatu laicorum relate ad missiones ut conspectus generalis apostolatus laicorum completus evadat. Sicut in schematibus de Ecclesia, de pastoralis munere episcoporum, de Liturgia *relate*² ad missiones semper considerata fuit, ita in apostolatu laicorum haec relatio omittenda non est.

Propono *igitur*³ quaedam addenda quae inseri possunt in nn. 2, 3, 6, 10, *ubi sermo est de apostolatu ab omnibus et singulis exercendo, de formatione apostolica, de apostolatu in Ecclesiae communitatibus et de hominum conversione et progressu ad Deum.*

In omnibus istis numeris quaedam verba convenienter inseri possunt de apostolatu laicorum missionali.

*Nemini latent valor et necessitas apostolatus missionalis laicorum et nullus ex praesulibus missionum non cogitat neque desiderat auxilium laicorum. Insertiones in scriptis ad secretariatam mittam.*⁴

*Insuper*⁵: aliqui laici oriundi de terris Ecclesiae in silentio me rogaverunt ut in memoriam Patrum, si necesse sit, revocare quod in Ec-



clesia in silentio adsunt multi laici post dissolutionem omnium associationum catholicarum, et post etiam discessum coactum eorum pastorum viriliter et constanter laborant in silentio ac in *sacrificio*⁶ ad defensionem et conservationem fidei confratrum in Christo. Multi ex ipsis carcerem adiderunt et vitam pro Christo dederunt. Vere digni sunt ipsi laude Patrum conciliarium et mentione in schemate de apostolatu laicorum. Ipsi enim constituunt testimonium de efficacitate apostolatus laicorum et gloriam et exemplum. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: ¹ in cap. IV « de cooperatione missionaria ». ² relatio. ³ inde. ⁴ 1. Ad n. 2, ubi agitur de apostolatu ab omnibus et singulis exercendo. In pag. 7, lin. 1, post verba « quia multi, longe a Christo et Ecclesia versantes » addantur sequentia: « vel Christum redemptorem adhuc ignorantes ». Nam in missionibus annuntiatio Evangelii a laicis multoties praeparari oportet. Ad n. 3 de formatione apostolica. In pag. 8, lin. 2. Post verba « ad laicos penitius in apostolatu efformandos apta centra habeantur praesertim pro iis qui speciali titulo servitio Ecclesiae addicuntur » addantur sequentia verba: « vel artes suas et scientiam dant operi missionali ». Nam laici qui patriam suam relinquunt et artes suas vel scientiam in adiutorium Evangelii praeconum devovent, vera laude digni sunt. Attamen eorum spiritus et vita gratia supernaturali et zelo apostolico ornari, eorumque etiam externa ratio vivendi consuetudini locali aptari debent. Igitur specialis formatio eis danda est. 3. Ad n. 6: In Ecclesiae communitatibus. Pag. 9, lin. 19, post verba « necnon omnium hominum bonae voluntatis conferunt » addantur sequentia verba: « Collaborant insuper cum missionibus, orationes, tribulationes, sacrificia necnon auxilia materialia et etiam proprias activitates personales offerendo quibus Evangelii praecones in Regni Christi dilatione atque Ecclesiae aedificatione adiuvant ». 4. Ad n. 10 de hominum conversione et progressu ad Deum. In pag. 10, lin. 30, post verba « etiam qui longe sunt » addantur verba sequentia: « vel foris sunt ». Haec verba innuere volunt activitates missionales laicorum versus non-christianos, qui extra Ecclesiam sunt. In hoc schemate ne unum verbum quidem loquitur de activitate missionali laicorum, non tantum illorum laicorum de terris missionum, sed speciatim illorum laicorum qui patriam propriam relinquentes ad regiones non-christianas operam suam Evangelii praeconibus adiutricem dant. Supponitur quidem quod hoc in schemate de missionibus agi debet. Nunc vero in schemate *de activitate missionali Ecclesiae* de hoc non agitur. Necessae est de hoc agere in schemate *de apostolatu laicorum*. ⁵ deest. ⁶ sacrificiis.

9

Exc.MUS P. D. BERNARDUS M. CAZZARO

Episcopus tit. Pyrgensis, vic. ap. Aysenensis

Em.mi Patres et venerabiles Fratres,

Praesens schema decreti *de apostolatu laicorum* in genere mihi placet. Quasdam tamen animadversiones quam brevissime proponam, ut textus perfectior evadat.



1. Mea facio verba eorum qui postulaverunt ut clarius in lucem ponatur nexus inter vitam christianam et apostolatam. Adderem insuper opportune insereretur pastoralis hortatio ut et laici quam maximi facere discant animas, quas Filius Dei, caro factus, suo pretiosissimo Sanguine redemit.

2. Si apostolatus est « officium », ut dicitur in pag. 6, lin. 19, melius exponere convenit, ut mihi videtur, etiam consecraria — sive coram Deo et Ecclesia, sive coram propria conscientia — omissionis vel malae perfunctionis tanti officii, sicut iam innuitur in pag. 10, linn. 36-37, forma *tamen*¹ tantum negativa, scil. « coram Deo et ipsi laici de Ecclesiae missione rationes reddituros se esse numquam obliviscantur ».

3. Bene in lucem ponatur gravis monitio Domini Iesu: « Sine me nihil potestis facere » (Io. 15, 5) tamquam conditio « sine qua non » pro quocumque apostolatu, *etiam laicorum*.² Agitur enim de « causa » ex qua labor apostolicus *eorum*³ tamquam « effectus adaequatus » profluere debet.

4. Inter cetera media ad vitam spiritualem laicorum eorumque apostolicum zelum fovendum, ponatur et filialis devotio erga B. Mariam Virginem, Reginam Apostolorum. Omnes qui tanta mirabilia gratiae divinae per eam, praesertim in suis sanctuariis, cotidie vidimus et audivimus, reticere minime possumus. Proinde plene assentio verbis ab exc.mo D. Stephano Barela circa hoc heri optime prolatis.

5. Laicis, ut plurimum, committi convenit administranda bona temporalia Ecclesiae. Non modo etenim ad hoc sunt magis idonei, verum etiam et tempus pretiosissimum nobis reservant, ut orationi et verbo Dei instemus...⁴

6. Laici opportune hortandi sunt ut etiam materialibus auxiliis pro viribus...⁵ ultro Ecclesiam adiuvent. Est realis cooperatio, cui si omnes satisfacerent, sacerdotes haud certe cogentur fere omni die festo in Ecclesia stipis collationem facere, vel pro sacris taxationes nimis urgere quae facile scandali praebent occasionem.

7 *et ultimo*⁶: Laici invitentur ad cooperandum non solum a longe, ut ita dicam, sed etiam *praesentes*, scil. sua ipsa persona, quantum fieri potest, in activitate missionali Ecclesiae in ipsis locis Missionum. Usque modo, ni fallor, ne verbum quidem, inter tanta praeclara dicta, de hoc personali auxilio laicorum missionariis. Laudanda ceterum iam exstant incoepata quae huic apostolatu iamdiu magno cum fructu consulunt. In *urbe*⁷ Patavina, v. g., habetur « Collegio Universitario Aspiranti Medici Missionarii »...⁸. Si haec personalis cooperatio in schemate *de activitate missionali Ecclesiae*, ut optandum erat, suum locum non obtinuit, in hoc saltem de ea mentio fiat exopto, et quidem, ut videtur



in pag. 9, lin. 16, post verba « de necessitatibus universalis Ecclesiae usque mundi curam (laici) habeant ».

*Alia circa libertatem laicorum in apostolatu secretariatui scripto tradam.*⁹ Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ deest. ² deest. ³ deest. ⁴ (*Act.* 6, 4).
⁵ suis. ⁶ deest. ⁷ civitate. ⁸ (C.U.A.M.M.). ⁹ 8 et ultimo: In quibusdam civitatibus sunt laici qui sive singuli sive consociati, evangelicam quidem vivendi formam imitantur, sed, in hoc, nullo peculiari canonico statuto reguntur. Hi, dum evangelica sectantur consilia, praesertim in paupertate et in oratione, cupiunt manere mere laici et libere apostolatam suam in paroeciis, obsequentes animarum pastoribus, fructuose exercere. Hos multos novi, qui nunc mea humili voce utuntur petentes ut Ecclesia eos foveat et protegat in libera cooperatione praestanda in apostolatu.

10

EXC.MUS P. D. ALEXANDER CARTER

Episcopus S. Mariae Ormensis

Venerabiles Patres,

Schema *de apostolatu laicorum* prouti stat in praesenti tertio gradu evolutionis suae, meo iudicio mutatione substantiali adhuc indiget...¹

Experientia personali, ut consultor in commissione praeconciliari, agnosco competentiam episcoporum et peritorum qui hanc commissionem formaverunt, et laudo maximam libertatem omnibus extensam ab em.mo praeside card. Cento. Quibus non obstantibus, mihi videtur schema triplici lacuna laborare. 1. Est nimis clericale; 2. ei deest unitas organica ...²; 3. non respondebit expectationi laicorum in mundo.

1. *Est nimis clericale.* Schema nostrum conceptum est in peccato — peccato clericalismi. Em.mus praeses et plures ex membris commissionis conscii erant absurdum esse commissionem de apostolatu laicorum ex solis clericis constitui ubi nullus laicus numerabatur. Sed illis diebus praeconciliaribus, de hoc nihil faciendum. Quando tamen mense martii, anno elapso, complures laici, viri et mulieres, contribuere invitati sunt, maxima pars laboris commissionis iam facta erat. Eorum introductio erat nimis tarda, et eorum contributio manet minima. Sicut anglice dicimus “too little and too late”. Sed sat dictum est de clericalismo — ergo ne exponam Fratres collegiales repetitioni inutili, tradam in scriptis observationes de clericalismo...³

2. *Deest unitas organica in schemate.* Textus schematis contractus



est in quatuordecim paginas ex quattuor fasciculis. Quod sane non est malum — necesse erat ambitum restringere. Error fuit velle includere in forma breviori fere omnia de quibus in ingenti opere originali. Unde fit quod non sit contractio tantum sed potius evisceratio. Schema nunc est aliquod compendium idearum quae manent, ut ita dicam, in aere suspensae.

Tamen inveniri potest verum fundamentum unitatis in pulcherrimis capitibus de populo Dei et de laicis in tractatu de Ecclesia.

*Sed etiam de hoc iam sat dictum est. Exempla et observationes tradam in scriptis secretario.*⁴

3. ...⁵ Schema de apostolatu laicorum non respondet expectationi laicorum.

Oculi laicorum ad Concilium vertuntur. Sed in textu schematis nos clerici nobismetipsis loquimur, non laicis. Nullus dialogus existit nec ponitur fundamentum dialogi sereni et sinceri. Certissime sunt in textu multiplices observationes utiles et bene fundatae.

In n. 7, pag. 9, bene fit sermo de ambitu laicorum, in n. 10, pag. 11, laudabiliter dicitur de laicorum responsabilitate in ordine temporali instaurando.

Sed proh dolor, imago quae ex textu surgit est imago viri organizati, ...⁶ qui necessario coetui cuidam actionis catholicae pertinet. Distinctio fit in schemate inter apostolatum generalem et specialem, sed sensus schematis talis est ut vix concipitur verus apostolatus extra limites associationis alicuius. Associationes necessariae sunt in Ecclesia et certe fovendae sunt. Sed vocatio ad apostolatum latius patet. Si schema de apostolatu laicorum debet ex professo tractare imprimis de actione catholica, melius esset aliquas propositiones facere et conferentiis episcopalibus relinquere curam directorium componendi de apostolatu in specie. Sic melius respondebitur condicionibus specialibus in quibus ecclesiae particulares in diversis regionibus mundi vivunt.

Concludo. Schema substantialiter recognoscendum est cum auxilio peritorum laicorum, qui laici sint diverso modo vere expertes authentici *a mundo desumpti*.⁷ Aliter, venerabiles Patres, omnibus laicis qui a Concilio Vaticano II inspirationem et invitationem ad plenam vitam christianam tam vivide desiderant et expectant — omnibus christianis cordatis qui, sive in associationibus sive soli certent ut instauretur regnum Christi; tandem omnibus laicis heroicis qui saepe, periculo vitae, et, quod dolendum est, aliquando invitis vel obstantibus auctoritatibus ecclesiasticis, per legislationem socialem ius omnium ad libertatem et ad vitam decentem et humanam vindicant — omnibus his Concilium cum dignitate et fructu offerre debet ea sola quae in tractatu de Ecclesia et



de populo Dei tam bene exponuntur. Quod credo omnibus laicis magis placebit quam schema in forma actuali. Dixi. Gratias.

In textu scripto tradito: ¹ priusquam respondeat actuali mentis dispositioni horum omnium qui, tam in hac aula quam extra, tantam spem in hoc schemate posuerunt. Ex. ² et nexus cum doctrina de laicis quae in tractatu *de Ecclesia* exponitur. ³ Hoc baptismum schematis per infusionem laicorum peccatum removit, sed fomes peccati remanet. Nos clerici, sumus praedicatores ex officio. Non obstante conatu eliminandi formulas quae clericalismum sapere videbantur, stylus adhuc redolet quandam sensum pie praedicationis. Deest expressio contemporanea laicis intelligibilis. Ex multiplicibus exemplis profero sequens: n. 5 pag. 8 ubi de familia. Quae paragraphus nullam ostendit cognitionem circumstantiarum concretarum in quibus vivunt nostrae familiae christianae. Est abstracta et philosophica et sonat ut aliquod schema praedicationis in festo S. Familiae faciendae a quadam curia dioecesana praeparatum. ⁴ Ibi est quaestio de participatione laicorum in sacerdotio universalis — in munere prophetico Christi et testimonio, et eorum participatione in servitio regali. Dignitas et significatio vocationis laicorum ad apostolatatum recte ponitur in eorum incorporatione in Christo et inclusione in populo Dei. Ex his praemissis doctrinalibus notio apostolatus fluere debet. Textus autem noster procedit ac si Concilium nunquam adlaboravit doctrinam vocationis laicorum quae tam bene in schemate *de Ecclesia* exponitur. V. g. in proemio (pag. 5, linn. 16 ss.) quid minus aptum ad laicos inspirandos quam haec descriptio apostolatus: « Hic apostolatus, suapte natura necessarius, hodiernis in adiunctis urgentior adhuc efficitur, non solum ob insufficientem numerum cleri, sed praesertim ob alienationem quarundam provinciarum vitae humanae ab omni ordine religioso vel ethico ». Mihi videtur hunc modum loquendi esse negativum et longe inferiorem esse iis quae iam diximus de laicorum vita salutifera et apostolica. Ex hac lacuna evenit quod schema in unitate organica deficit. Fatendum est quod in pag. 6 fit intimatio nexus inter apostolatatum et participationem regalis sacerdotii Christi eiusque divinae missionis, sed est mentio tantum — non ponitur ut doctrina fundamentalis in qua totus apostolatus fundari potest et debet. ⁵ Postea et propter ea quae diximus concludere debemus quod. ⁶ i. e. ⁷ deest.

11

Exc.MUS P. D. FRANCISCUS ŠEPER

Archiepiscopus Zagrabienis

Venerabiles Patres conciliares,

Documentum conciliare *de apostolatu laicorum* veluti complementum, consequentia et applicatio practica eorum quae de laicis in constitutione *de Ecclesia* dicta sunt esse deberet. Permulta quae in schemate *dicuntur placet*.¹ Optima etenim sunt. Ita v. g. quae n. 1 ...² dicuntur vocationem christianam natura sua vocationem quoque ad apostolatatum



involvere; vel n. 3 ...³ ubi asseritur omnem educationem christianam necessario includere debere formationem quoque ad apostolatam.

Desiderandum tamen est ut schema — quoad inspirationem — magis respondeat iis quae in constitutione *de Ecclesia* de mysterio Ecclesiae, et de populo Dei dicuntur, ut fiat magis pastorale, minus iuridicum. Scopus Concilii non est ut describat et stabilizet — plus minusve modificatam — situationem hactenus in apostolatu laicorum vigentem, sed ut mediis radicalibus adhibitis novas vias aperiat ad universos qui ad Corpus Christi pertinent, movendos ut partem propriam in opere apostolico Ecclesiae adimpleant.

In textu affirmatur quidem omnes fideles ad apostolatam teneri, sed in applicatione practica potius singuli eximii inter laicos, qui militantes vocantur, attingi videntur, item et variae associationes apostolatus laicorum, quam laici simpliciter. His mediis massa fidelium non attingitur.

Praeterea obliviscendum non est plures easque vastissimas regiones in mundo existere in quibus, ob systema sociale et politicum, formae associativae apostolatus laicorum practice impossibiles sunt, apostolatus autem singulorum urgentior esse videtur quam alibi. Ideo Concilium talia media concreta et realia decernere debet quae ubique possibilis et efficacia praevidentur.

Duae sunt quaestiones essentialis, relate ad excitationem spiritus apostolici in mundo laicali, quas in schemate deficienter tractatas esse putamus:

Prima est quaestio *formationis apostolicae* omnium fidelium. Necessitas huius formationis inculcatur, uti initio dixi, sed medium vere efficax non statuitur. Ipsa natura apostolatus laicorum requirit bonam cognitionem religionis christianae simul ac applicationis veritatis revelatae ad illustranda et solvenda problemata vitae quotidianae in mundo hodierno. Haec cognitio ab universis fidelibus comparari non potest iis mediis quae hodie in praxi Ecclesiae adsunt et quae instructionem plus minusve ad adolescentiam restringunt. Si omnes laici ad apostolatam vocantur, prorsus necessarium est ut in unaquaque paroecia habeatur medium idoneum ad talem formationem *adultis* impertiendam et semper continuandam.

Altera est quaestio illa — a laicis hodie pluries prolata — ut illis possibilitas efficax praebetur sua problemata suis sacerdotibus deferendi ita, ut ab iis libenter audiantur. Laici non debent esse simplices auditores et executores, sed necesse est ut ipsi active ad solutionem suorum et mundi problematum conferant. Hunc in finem propono:

In omni paroecia, praeter conventum liturgicum Missae dominicalis,



obligatorie semel in hebdomada teneatur *conventus omnium adultorum communitatis* paroecialis. Tempus idoneum iuxta conditiones locorum et structuram sociale paroeciae determinetur. In conventu sacerdos doctrinam christianam modo adultorum tradat, varia problemata actualia et urgentia discutiatur eorumque solutionem simul cum fidelibus quaeratur, veram formationem apostolicam laicorum perficiat. Conventus apte aliqua oratione liturgica aperiatur et concludatur. In conventu etiam auditoribus adaptatum studium Scripturae institui potest. Laici periti, et alii sacerdotes saeculares vel regulares in tali conventu conferentias habere possunt, ne paroecia in seipsam claudatur. Ita verus dialogus inter membra unius familiae habebitur.

Talis conventus tenorem *medii ordinarii* vitae ecclesisticae, similiter ac Missa dominicalis, obtineat necesse est. Tale medium etiam in regionibus, in quibus libertas religiosa quovis modo coarctatur, *et ubi nullae associationes haberi possunt*,⁴ adhiberi poterit, speciatim si sanctionem Concilii obtinuerit.

Sacerdotes in hodierno rerum statu, saltem in multis regionibus, multis laboribus occupati sunt. Ut huic novo labori satisfacere possint, exonerari deberent ab omnibus laboribus qui ab aliis (sororibus religiosis, laicis vel diaconis, si introducantur) exerceri possunt...⁵

In nova rerum ordinatione, quae proponitur, pastores animarum imprimis de adultis curam habebunt *et*⁶ eos ad apostolatam vere efficaciter formare valeant. Ita Ecclesia uti organismus vivus et efficaciter per omnia sua membra operans mundo ostendetur.

In fine aliqua parva animadversio ad n. 1, pag. 6, linn. 3-4. Legimus: « "Apostolatus" qui nomen trahit a munere docendi, regendi et sanctificandi apostolis concredito eorumque successoribus... ». Verum est apostolis a Christo concredita esse munera docendi, regendi et sanctificandi, sed hodie nemo est qui utendo verbo « apostolatus » cogitet v. g. de munere regendi nec de munere sanctificandi, sensu proprio, si de apostolatu laicorum agitur, sed simpliciter de propaganda doctrina Evangelii. Ex alia parte nec munus docendi, regendi et sanctificandi apostolorum et episcoporum nomine « apostolatus » hodie designatur. Ideo in eo loco simpliciter dicerem: « "apostolatus" qui nomen trahit a munere apostolis concredito » etc. *sine speciali mentione muneris docendi, regendi et sanctificandi*.⁷ Satis.

In textu scripto tradito: ¹ continentur placent. ² (pag. 6, linn. 1-2).
³ (pag. 7, linn. 8-9). ⁴ deest. ⁵ Id valet e. g. pro catechetica instructione infantium, quae multis sacerdotibus evasit principalis sollicitudo ita ut tandem ad adultos accedere desuescant. ⁶ ut. ⁷ deest.



12

EXC.MUS P. D. LUDOVICUS RASTOUIL

Episcopus Lemovicensis

Dilectissimi Patres et Fratres in sacerdotio Iesu Christi, venerabiles Periti, Observatores, Auditores et Auditrices,

Circa prooemium schematis *de apostolatu laicorum*,¹ hic agitur de fundamento apostolatus laicorum, quod est participatio sacerdotio Christi per characteres Baptismi et proprie *et specificce, si possem dicere*,² per characterem Confirmationis.

Laici non sunt presbyteri, sed sunt sacerdotales (sacerdotalisés), quia participant sacerdotium unicum Iesu Christi, quod est eorum ratio participandi consecrationem mundi.

1. Laici participant sacerdotium Christi per characterem Baptismi, qui est, ait S. Thomas, derivatio sacerdotii Christi, fons potestatis, iuris, officii ad cultum divinum et ad vitam christianam.

2. Laici participant sacerdotium Christi per characterem Confirmationis, qui est, ait S. Thomas, derivatio sacerdotii Christi, fons potestatis spiritualis ...³ ad alios — dixit — verbis, quasi ex officio.

Etenim Incarnatio fit *ad redemptionem, sed fit*⁴ *ad redemptionem per sacerdotium Iesu Christi sacerdotis et victimae derivatam*⁵ in omnibus membris Ecclesiae seu populi Dei.

Cum gratia et donis ...⁶ sacerdotium Christi est clavis totius ecclesiologyae, necnon etiam totius Concilii, ita ut omnia membra Ecclesiae, Papa, episcopi, presbyteri (qui constituunt hierarchiam) et laici, baptizati et confirmati, uniuntur in tramite sacerdotii Christi, omnes coniuncti, quisque cum gradu potestatum in seipso sculptarum per characterem Baptismi, Confirmationis et Ordinis.

Et omnia membra coordinata, quisque suo loco, cum suis muneribus, activa *debeant*,⁷ *debent* esse in apostolatu universali Ecclesiae, et sunt Ecclesia una in Corpore mystico Christi. Natura sua Ecclesia est sacerdotalis.

Sed proh dolor! laici fere omnes *etiam*,⁸ etiam inter meliores et disertos, nesciunt realitatem et efficacitatem potentiarum in seipsis sculptarum ad apostolatum *per Confirmationem*.

Theologi recenter, A. Adam, Luykx, Jungmann et alii fatentur non existere veram theologiam de Confirmatione...⁹

*Imprimis*¹⁰ confirmatio est sacramentum plenitudinis donorum Spiritus Sancti sicut in primitiva Pentecoste. Sacramentum virtutis aposto-



latum exercendi in mediis vitae (là où l'on vit). Est sacramentum ad testificandum de Deo, de Christo, de Ecclesia, de vita christiana, proprie, in familia, in professione, in civitate. Cetera magni momenti, meo iudicio, tradam scripto secretariatus Concilii...¹¹

Aliquae conclusiones:

1. *In Concilio, meo iudicio, defuit commissio de sacerdotio, quam iam sollicitavi in emendationibus, particulariter*¹² in emendatione de Liturgia.

2. *Defuit etiam schema de sacerdotio, quia trama sacerdotalis praesens est aut debet esse activa in omnibus schematibus.*

3. *In theologia, usque nunc, defuit et adhuc deest tractatus de sacerdotio, qui esset...*¹³

Moderator: Rev. Pater, non est ad rem; vis intra subiectum remanere.

Orator: 5. Laici baptizati et confirmati, doceantur de fundamentis vitae christianae (de gratia et de caractere baptismi) et de fundamentis apostolatus (de gratiae¹⁴ donis, caractere confirmationis).

6. Laici recipiant formationem, praeparationem, animationem *doctrinalem, spiritualem, pastorem*¹⁵ circa eorum potestates et munera adimplenda in mediis vitae et circa missionem erga hierarchiam necnon media vitae. Dixi, Maria duce. Gratias.

In textu scripto tradito: ¹ deest. ² deest. ³ et officii. ⁴ deest. ⁵ derivatum. ⁶ Spiritus Sancti. ⁷ deberent. ⁸ deest. ⁹ « Il n'existe pas de vraie théologie de la Confirmation; la pauvreté du schéma classique sacramentaire appliqué à la Confirmation; il ne règne pas une pleine clarté dans la théologie de la Confirmation ». A. ADAM: *Confirmation et Pastorale*, p. 17, 180, 184. Inter alios, unus episcopus Galliae, Concilio praesens, titulum mandato pastoralis dedit: *Un grand Sacrement méconnu, la Confirmation*, et quam facillime thesim probavit! Saepe saepius ephemerides catholicae, quae agunt de apostolatu laicorum, nihil dicunt de confirmatione. Quando agitur de apostolatu laicorum, fere nunquam loquitur de sacramento apostolatus, nempe de confirmatione. Aliunde, quando tractatur de Confirmatione, hoc sacramentum praesentatur sicut sacramentum praelii, pugnarum, pro defensione Ecclesiae. Et haec vera sunt. ¹⁰ Sed imprimis (et hoc est nimis ignotum). ¹¹ Igitur quando agitur de apostolatu laicorum, omnino mihi videtur necessarium ut imprimis ponantur principia de sacerdotio spirituali laicorum in quantum sint fundamenta illorum participationis, pro sua parte sacerdotali in cultu divino et in apostolatu activo. Duplex error vitanda est: 1. Exprimere, dicere, baptizatos et confirmatos esse presbyteros; 2. exprimere, dicere, nihil esse sacerdotale in laicis. Nihil dicere de participatione laicorum sacerdotio Christi, esset prosequere in ignorantia laicorum quoad eorum



dignitatem et fundamentum illorum apostolatus. Sed dicere quod essent presbyteri, esset illis attribuere titulum cuius haberent neque characterem neque potestatem, neque obligationes praestandi. Papa Ioannes XXIII bis in eodem die 2 iunii 1962 invitavit auditores ad vivendam suam Confirmationem: 1. adolescentulis milanensibus a S. E. card. Montini praesentatis, dixit: « Avete promesso di *vivere integralmente il sacramento della Cresima*, per rendere operosa la vostra testimonianza cristiana » (*L'Osservatore Romano*, 3 giugno 1962); 2. Comitatu italiano permanenti pro formatione professionali, eodem die dixit: « Si tratta non soltanto di fare buoni operai ma di irrobustire *cristiani* convinti che *vivano costantemente il sacramento della Cresima* » (*Acta*, 7 iulii 1962).¹² deest. ¹³ lumen in multis capitibus theologiae dogmaticae et pastoralis. 4. In liturgia deest festum Sacerdotii I. C. quod evocaret in Missa et Breviario sacerdotium Christi, Ecclesiae, hierarchiae et etiam laicorum qui *simul sunt Ecclesia*. Deest in ritibus baptismi et confirmationis ut exprimat effectus characteris utriusque sacramenti: i. e. participatio cultui divino (B) et participatio apostolatus (C).¹⁴ gratia. ¹⁵ doctrinales, spirituales, pastorales.

13

REV. MUS P. D. HILARIUS CAPUCCI

*Superior gen. Ord. Basiliani Aleppensis Melchitarum**Venerabiles Patres,*

In exercitio suae missionis per mundum, Ecclesia orientalis semper coluit intimam associationem inter clerum et populum. Numquam, *forsan dici potest*,¹ experta est illam dissociationem inter hierarchiam, aristocratico modo conceptam uti sola responsabilis de Regno Dei, atqui dotata charismate praecipendi, et laicatum unice consideratur uti gregem regendum, cui non petitur nisi oboedientia.

Ecclesia, quae est Corpus Christi, tota est missionaria, tota tendit ad secundum adventum Domini, tota procedit et laborat, sub influxu Spiritus Sancti, per innumera dona multiformis eiusdem gratiae, quae large effunduntur in membra Christi, in servitium totius Familiae Patris. « Et erit in novissimis diebus, dicit Dominus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem: et prophetabunt filii vestri, et filiae vestrae, et iuvenes vestri visiones videbunt et seniores vestri somnia somniabunt. Et quidem super servos meos, et super ancillas meas, in diebus illis, effundam de Spiritu meo, et prophetabunt » ...²

Oriens immo aliquantulum cecidit in excessum quemdam democraticum; nimis nempe *forte*³ limitavit munera cleri intra ambitum liturgicarum functionum, dum *laicatu non solum reservabatur administratio temporalis, sed etiam, in consilio congregato sub praesidentia clerico-*



*rum, aliqua professio doctrinae theologiae concedebatur, necnon habitualis cura operum caritatis, et saepe relationes publicas cum Statibus.*⁴ Magnam partem habuerunt huiusmodi consilia mixta, laicorum scil. et clericorum, in electionibus episcopalibus aliisque huiusmodi negotiis.

Venerabiles Patres, quaevis institutio humana habet sua commoda et incommoda. Sed tempus forsitan est ut Ecclesia *Universalis*⁵ se avertat a nimio clericalismo *etiam apud nos hodie*⁶ et latas aperiat ianuas laicatu, eum tractando uti adultum, illumque integrando in vita sua ecclesiali et pastorali cum illa plena responsabilitate quae homini maturo convenit. Formulae huiusmodi integrationis variae esse possunt iuxta varias circumstantias temporum, locorum et personarum. Sed omnes ad unum tendere debent: ad Ecclesiam nempe dimensionis cosmicae, arctissime unitam cum laicatu qui conscius sit officii sui, integram assumens responsabilitatem suam circa hierarchiam.

Tempus est igitur ut *sive in oriente sive in occidente*⁷ confidamus in zelo, competentia, atque sensu ecclesiali eorum quos elegimus et instituimus inter laicos.

Si quae erunt deficientiae vel haesitationes in primis temporibus, hoc impedire non debet novam directionem quae magis in dies videtur necessaria ad bonum Ecclesiae. Hoc autem ratione ipsius naturae et sub motu ipsius Spiritus Sancti, non autem tantum, uti aliquando asseritur, propter decrescentem numerum vocationum sacerdotalium vel religiosarum.

Ne obliviscamur episcopos et sacerdotes in Ecclesia esse ministros Spiritus Sancti. Dantur enim Ecclesiae « ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem Corporis Christi »...⁸, ad hunc scil. finem ut detur Ecclesiae sua cohaesio missionaria. Vigilare debent ut Ecclesia fiat revera populus sacerdotalis, qui fideliter impleat missionem suam apostolicam: « ut virtute annuntient eius, qui de tenebris eos vocavit in admirabile lumen suum ». Audire debent Spiritum, qui in Ecclesia operatur, ut discernere queant, et spirituali modo intelligant, motus quos suscitatur Spiritus pro salute totius mundi. Transmittere debent scientiam divinam quae transformatur baptizatos in sacrificium spirituale per Eucharistiam. Adjuvare debent libertatem humanam ut maturet, in plena conscientia suae responsabilitatis, atque se mutet in libertatem vere humanam, transfigurata a Spiritu Sancto.

Spiritus adjuvat Ecclesiam ut magis conscia sit de eo quod est, speciali modo in populo fidelium. Non habetur aliud salutis signum in mundo nisi in communione episcoporum atque sacerdotum et laicorum



qui simul vivere cupiunt coram problematibus hominum, eorumque valoribus atque conatibus, Mysterium Christi Iesu. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ scil. ² (*Act.* 2, 17-19). ³ deest. ⁴ reservabatur laicatuī, in consilio congregato sub praesidentia clericorum, non solum tota administratio temporalis, sed etiam professio doctrinae theologicae, opera caritatis, necnon relationes publicae cum Statibus. ⁵ occidentis. ⁶ deest. ⁷ obliviscamur complexuum clericalium nostrae absolutae supremae et efficacitatis. ⁸ (*Eph.* 4, 12).

14

EXC.MUS P. D. IGNATIUS M. DE ORBEGOZO Y GOICOECHEA
Episcopus tit. Ariassensis, prael. null. Yaayosensis

Venerabiles Patres,

Cum gaudio imperare potui quomodo multa de quibus ego loqui volebam circa magnas imperfectiones et lacunas schematis *de apostolatu laicorum* dicta iam sunt, maiore quidem auctoritate ab aliis Patribus.

Ideo ad vobis vitandum ulteriorem repetitionem, non utar iure loquendi. Manifestare tamen desidero me concordare praesertim cum iis omnibus quae opportune exposita sunt praecipue ab em.mis cardd. Ritter et Suenens, tum circa naturam propriam apostolatus laicorum eiusque finem specificum, tum circa necessitatem firmiter defendendi et efficaciter tuendi ius nativum associationis et realem pluralitatem formarum associationis. Gratias. Dixi.

Moderator: Gratias pro concisione!

Textus scripto traditus:

1. Etsi in schema aliquo modo appareat effectivum desiderium ponendi sub clariore luce urgentem necessitatem et momentum apostolatus laicorum ad regnum Dei magis magisque extendendum, attamen sub diversis adspectibus, neque semel, animadvertitur notabilis defectus praecisionis in terminologia, immo et quasi quaedam difficultas ponendi in suo loco ipsam essentiam talis apostolatus, et consequenter etiam eius qualitates et characteres peculiare. Hoc vero, nostro iudicio, magna ex parte contingit quia in schemate apostolatus laicorum consideratur cum mentalitate nimis clericali, cum nimia tendentia ad « hierarchismum ».

Iam in ipso « prooemio », una simul cum ratione valde apta de necessitate huius apostolatus — qui dicitur enim « *suapte natura necessarius* » —, aliae etiam rationes adducuntur quae tali validitate carent, vel valent in gradu infimo et relativo: v. g. « *Ob insufficientem numerum cleri* ».



2. Missio Ecclesiae est continuare, usque ad consummationem temporum, opus Christi in terris, « Deum glorificando, animas salvando, *instaurando omnia in Christo* ». Sed Ecclesia hanc missionem perficere debet, modo quidem diverso, *per omnia sua membra*. Ideo, quando agitur de vocatione apostolica laicorum necessarium videtur ut insistatur, cum summa claritate et praecisione, circa physiognomiam peculiarem qua, intra illos « diversos quidem modos », apostolatus laicorum collaborat in illa *instaurazione omnium rerum in Christo*.

Ratio essentialis apostolatus laicorum est « consecratio mundi », eodem modo ac finis primarius apostolatus Ecclesiae hierarchicae coincidit cum fine primario Redemptionis: docere, sanctificare et animas gubernare easque dirigere ad finem ultimum.

Sua ipsorum natura, laici peculiari et specifica capacitate pollent ut efficaciter persequantur fines apostolicos sibi proprios. Essentialiter propter suam conditionem laicorum possunt dare testimonium Christi in media societate civili, ex omni professione et officio, in omni sociali condicione, in omni tempore et loco.

Necessarium est ut consequentiae et modi considerandi ipsam rem deducantur e correcta intellectione omnium notarum quas apostolatus laicorum habet, et habere debet ut efficax sit. Haec vero omnia non apparent satis clare in schemate.

Sic, e. g. in cap. IV, *de formis associativis*, agitur, de facto, de necessitate quam habent laici sese congregandi in coetibus vel associationibus, ut ita pervenire possint ad plenam efficaciam sui laboris apostolici. Sed hoc modo lamentabiliter ignoratur vel despicitur efficacia illius modi exercendi apostolatum quem vocare possumus « personalem » et qui generatim est modus quo apostolatus plerisque in casibus perficitur.

Expedit ut ob oculos habeatur innumeros esse fideles qui, multis sane de causis — quandoque subiectivis, quandoque vero professionalibus vel familiaribus, etc., uti plerumque contingit — nullam sentiunt inclinationem ad nomen dandum alicui associationi, aut revera id facere non possunt; qui tamen habent missionem apostolicam quam optime perficiunt multis in casibus, idque per apostolatum personalem et directum.

3. Relate ad associationes fidelium, in schemate animadvertitur spiritus nimiae « vigilantiae » — nimii « hierarchismi » —, qui multis in casibus non est necessarius, neque semel erit verum obstaculum pro exercitio apostolatus laicorum.

Schema igitur magis insistere deberet in *libertate associationis* qua laici polent ut melius ac efficacius perficiant munera apostolica sibi propria. Et hoc quidem quia ordinarie ipsi laici sunt qui, ex ambitu suae vitae et peculiaribus adiunctis (socialibus, professionalibus, familiaribus, etc.) in quibus vitam suam agunt, melius parati sunt ad promovendos illos coetus vel associationes inter personas magis affines et aptas pro fine apostolico quem persequuntur.

Hoc praeterea in beneficium redundat ipsius Ecclesiae Hierarchicae, quae sese limitare debet ad prudentem coordinationem et vigilantiam in ordine morali, doctrinali, etc. illarum associationum, quas alia ex parte cum omni gaudio fovet.

Immo vero, in schemate aliquo modo manifestari deberet necessitas quod — saltem quod attinet ad Actionem Catholicam « stricto sensu », nempe ad illam cuius dependentia immediata et directa ab ecclesiastica hierarchia est publica et manifesta — sodales Actionis Catholicae absolute caveant et omni cura vitent agere nomine hierarchiae in aliis activitatibus praeter quam in illis quas, clare et specificè, hierarchia ipsis commendat. Nisi haec ita sint, hierarchia ecclesiastica



quandoque sese inveniet implicata in rebus quae saltem suos fines praetergrediuntur, quaeque semper erunt causa confusionis et falsae orientationis pro multis aliis fidelibus.

4. Alia ex parte, valde optandum est, ob manifestas rationes iustitiae, ut in schemate referentia etiam fiat, cum eadem amplitudine qua agitur de Actione Catholica, de aliis associationibus apostolicis laicorum pariter bene meritis, quae quidem multis in nationibus magis aestimantur quam Actio Catholica tum a plerisque episcopis tum ab ipsis fidelibus. Hoc contingit, e. g., in plerisque nationibus Americae Septemtrionalis et Meridionalis, ubi magnam extensionem obtinuerunt et optimum laborem apostolicum exercent associationes uti sunt Confraternitas Doctrinae Christianae, Legio Mariae, etc.; iis in locis vero Actio Catholica consideratur tamquam aliqua inter alias associationes fidelium, orta in Italia et parum diffusa extra Italiam. Immo vero, periculum adest — quod quidem iam est reale nonnullis in locis — ne quis cogitet Actionem Catholicam idcirco imponi quod in Italia originem habet. Haec omnia sane sunt realitas apostolica et pastoralis quae prae oculis habenda est quaeque profecto non solvitur per subtilitates notae (13) schematis.

Realitas quidem est quod Actio Catholica non placet multis in nationibus, idque non solum propter ipsum *nomen* sed etiam propter structuram totalitariam et exclusivistam quae videtur quod eidem praebere desideratur.

15

Exc.MUS P. D. ANTONIUS QUARRACINO

Episcopus S. Dominici Novem Iulii

Venerabiles Patres,

Schema in genere plus minusve placet; in multis denuo examinandum est ut in melius evadat. Forsitan hae observationes ad hunc scopum inservire possunt.

1. Observatio prima « quaestio mere formalis » appellari posset; sed puto documentum conciliare, quod speciali modo ad manus laicorum perventurum est, oblivisci non posse. Dicere intendo quod in schemate maior halitus (hispanice alienot, vuelo) et fortior stylus desideratur. Et ita — hac forma — patere debet lucide et nervose baptizatum profundis sensibus amoris et optimismi erga mundum animari debere; non erga mundum illum pro quo Dominus non rogavit sed erga istum quem aliquo modo iam Incarnatio Verbi consecravit. Ita etiam dicendum istum mundum — in suis structuris et in suis humanis elementis — locum esse ubi laicus fundamentaliter apostolus esse debet et quem « consecrare » habet, si haec expressio, analogice, admittitur. Immo vero, quia modo speciali homo modernus non serio considerat nisi veritates vel res cum quibus ligatum se sentiat (hispanice compro-



metido), laici nostri « ligati » sese sentire debent cum Ecclesia et cum mundo; cum mundo technicae et culturae, artis et laboris, famis et subevolutionis, etc. Vigorosa exhortatio ad hunc « compromissum » deesse non potest, etiam memorans, ex una parte, compromissum *illud*¹ recordari debere Ecclesiae transcendentiam supra omnes culturas historicas, et — ex alia parte — compromissum *illud*² cum mundo fieri non potest, saepissime, sine dolore, vel dubitationibus et tensionibus. Haec omnia, puto, incrementum « sensui Ecclesiae » laicatus praestaret.

2. Imago et realitas Ecclesiae a transmissione vitalis nuntii salutis hominibus dependent. Agitur, ergo, *ut dictum est*,³ de Ecclesia missionaria; de episcopis et laicis qui constituunt et uniuntur in populo Dei, in Corpore vivo quod, ad instar fermenti, diffundere Evangelium hominibus intendit.

In n. 1 schematis maiori vi exprimi debet quod « totalitas » populi Dei et Corporis Christi, cuius utique ope Baptismatis et Confirmationis membra constituuntur, est apostolatus laicalis fundamentum. Totae Ecclesiae Spiritus Sanctus dona et carismata concedit, quamvis utique hierarchiae est authenticitatem eorum discernere et recognoscere. Hoc in schemate plus minusve dictum est, sed — repeto — melius esset maiori vi illud sublineare. Et etiam maiori claritate nexum schematis cum illo *de Ecclesia* appareret.

3. In n. 16 doctrina de Actione Catholica bene et in aequilibrio posita est; ita saltem sentio. Ecclesia fuit et est dives formis et associationibus apostolicis et in ea coexistere potest quod in genere « apostolatus catholicorum » appellatur, cum Actione Catholica stricto sensu. Ad Ecclesiam universalem formas vel experientias alicuius nationis extendere velle, saltem imprudens esset. Pateat Actionem Catholicam non exhaurire conceptum apostolatus, sed nec esse tamquam genus quod omnem speciem actionis apostolicae laicalis includeret; potius est species sub genere « apostolatus laicalis », significata (*hoc est*,⁴ caracterizada) quia hierarchia uniri sibi vult speciali mandato et sub propria responsabilitate. Ex una parte, tamen, recordari iuvabit, mandatum de quo agitur nullo modo creare sed supponere missionem illam apostolicam quam laicus habet, non quidem canonicam sed generalem — vel sacramentalem, si vultis — in Baptismate et Confirmatione receptam; ex alia parte, illam specialem significationem non indicare « exclusivitatem » vel « praeminentiam » apostolicam, nec ullo modo ansam praestare debere periculo clericalismi.

Res ita considerantes periculum non est malae intelligentiae denominationis, et quaestionem movere contra sic dictam Actionem Catholicam videretur mere formalis. Ita nomina plurimarum associationum de-



*lenda essent: apostolatus orationis v. g., quia monopolium orationis significaret ab iis qui ei nomen dederunt, vel Legio Mariae, quia solummodo eius membra, possent quidam credere, Matrem Iesu amarent.*⁵

4. Ni fallor, nullibi in schemate loquitur de opinione publica in Ecclesia; tantum adest referentia tenuis in schemate *de Ecclesia*; et tamen Pius XII — felicitis recordationis — dixit Ecclesiam esse organismum vivum et aliquid ei deesse si opinio publica defuerit. Mea humilis opinio est quod agitur de forma participationis in functione ecclesiali gubernii, et ideo est forma apostolatus. Clare loquitur de participatione laicali in missione sanctificandi et docendi, et non ita gubernandi; et puto, tamen, posse et debere loqui. Quidam modi repraesentationis, *ut dictum est*,⁶ electionis et administrationis in Ecclesia essent forma aliqua participationis in illa gubernii missionis; opinionis publicae exercitium esset altera. Quidquid de hoc fuerit, verum est quod laicatus nostri temporis, qui « adultus » vocatus est, hoc exercitium exigebit, quia si est Ecclesia — sicuti revera est — tamquam ius suum illud considerabit. Quoad expressionem et ubicationem in schemate, peritiores videant.

5 et ultimo. In n. 20, ubi agitur de secretariatu constituendo, dicatur futurum esse revera universalem atque repraesentativum, et cuius membra eligentur ab ipsis laicis Associationum internationalium. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ illum. ² illum. ³ deest. ⁴ hispanice. ⁵ deest. ⁶ deest.

16

EXC.MUS P. D. EDUARDUS PIRONIO

Episcopus tit. Caeciritanus, aux. Platensis

Venerabiles Fratres,

Schema in genere placet ...¹. Attamen, ob momentum huius schematis et ob expectationem ipsorum laicorum necnon et totius mundi, aliquas observationes humiliter propono ut textus melior evadat, divitia praesertim doctrinali — biblica, scil. theologica, et liturgica.

I - *Observationes generales.*

1. Desideratur *stylus magis biblicus et patristicus*. Praescindendo enim a citationibus quoad litteram S. Scripturae et Patrum — quae non semper feliciter proponuntur — maxima viget distantia quoad « sensum » seu « clima » biblicum inter hoc schema et schemata *de Ecclesia* vel *de S. Liturgia*.



Apostolatus laicorum, qui est participatio in missione salvifica Ecclesiae, debet inseri in historia nostrae salutis. Quapropter oportet ut in prooemio clare affirmetur praesentia « missionaria » ipsius Christi — Prophetae, Sacerdotis et Regis — in tota communitate ecclesiali (tum in hierarchia, tum in universo populo Dei). Christus, nempe, « quem Pater sanctificavit et misit in mundo » ...² totam Ecclesiam sanctificat, ope Spiritus Sancti, et illam indesinenter mittit in mundum, sicut et ipse missus est a Patre, ut Evangelium salutis communicet et tota creatio in definitivam redemptionem filiorum Dei perducatur. Laici, itaque, sanctificati seu « consecrati » Baptismate et Confirmatione, mittuntur in mundum ut sint in eo testes Resurrectionis Domini Nostri Iesu Christi.

2. Observatio generalis: Desideratur etiam *contextus magis theologicus*. Quamvis enim principia tradita sint in schemate *de Ecclesia*, schema nostrum non potest praesentari nimis pragmatice seu moraliter. Quapropter, oportet ut quaedam fundamenta theologica, breviter sed lucide et sensu, si vultis, pastoraliter, iterum memorentur. Nempe:

a) Incorporatio in Christum, Sacerdotem, Prophetam et Regem, qui praesentialiter vivit in Ecclesia cum sua anima essentialiter redemptiva.

b) Incorporatio in Ecclesiam-populum Dei: qui *populus*³ continuo crescit, ope activitatis apostolicae singulorum membrorum, usque ad definitivam consummationem in Regno Patris.

c) Incarnatio in mundo: qui postulat ut totus homo — anima et corpus, persona et societas —, immo et tota creatio, definitive salvetur et fiat in Christo « nova creatura ».

3. Non satis affirmatur *valor S. Liturgiae* ut principium et finis actionis apostolicae. In Liturgia enim nutriuntur laici ut sint in mundo vere testes Mysterii Paschalis. In ea etiam sunt testes mundi coram Trinitate *et qua tales*⁴ seipsos offerendo, et totam creationem, tamquam hostiam vivam et spiritualem cultum Deo.

II - *Observationes quaedam particulares:*

1. Quoad formationem apostolicam: deberent tradi quaedam principia generalia. Scilicet:

a) profundior cognitio « sacrae doctrinae (sc. profundizatio theologica);

b) configuratio cum Christo: *cum Christo*⁵ oranti, *cum Christo*⁶ patienti, *cum Christo*⁷ ministranti;



c) positiva valorizatio mundi redimendi: cognitio *nempe*⁸ et amor *huius*⁹ mundi.

2. Non sufficienter sublineatur munus « propheticum » in apostolatu laicorum: communicatio *scil.*¹⁰ nuntii salutis. Laicus enim, plenus Spiritu Sancto, debet continuo proclamare « magnalia Dei », annuntiare *scil.* aliis quae Dominus fecit cum ipso...¹¹

3. Non satis describitur munus apostolicum laici ut « testis mundi » coram Ecclesia. Laicus enim — ut ait Summus Pontifex Paulus VI, feliciter regnans — est « pons » inter Ecclesiam et mundum: debet testificare Ecclesiam coram mundo *quidem*¹² et mundum coram Ecclesia...¹³

Denique in pag. 13, n. 13, necessitas consociationis in apostolatu deberet fundamentari in ipsa natura communitatis ecclesialis. Tota enim communitas ecclesialis debet esse apostolica. Et mundus, ut credat et salvetur, ardentissime exspectat, non tam testimonium singulorum membrorum, quam testimonium totius communitatis. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ ut basis disceptationis. ² (*Io.* 10, 36). ³ deest.
⁴ deest. ⁵ deest. ⁶ deest. ⁷ deest. ⁸ deest. ⁹ deest.
¹⁰ deest. ¹¹ (*Lc.* 8, 39). ¹² deest. ¹³ 4. In pag. 12, linn. 10 ss., inter qualitates humanas, enumerentur etiam spiritus liberationis (desprendimento) et spiritus servitii. 5.

EXC.MUS P. D. STEPHANUS LÁSZLÓ
Episcopus Sideropolitanus

Venerabiles Patres, Fratres et Sorores in Domino,

*Cum multis aliis schema etiam mihi placet.*¹ Quod non praecipue ut membrum commissionis proferre vellem, sed ut observator evolutionis theologicae et sociologicae huius materiae annis elapsis. Ante non multos annos in aliquo Dictionario ecclesiastico, quod satis cognitum fuit, sub verbo « laicus » tantum verba scripta fuerunt: vide sub verbo « clericus ». Et haec omnia, quae de clero exprimebantur, sub signis negativis pro laico valebant.

Quam progressum ergo hoc schema significat!

Nihilominus fateor, schema praesens etiam mihi tantum iuxta modum placere. Deest ei, uti iam dictum est, sufficiens theologica probatio.

Sed iuxta theologicum, schema nostrum etiam conspectum sociolo-



gicum habet. Qui etiam hic praeteriri nequit, si asserta de laicis et eorum apostolatu pro omnibus valorem debent habere.

Schema tunc tantum ab omnibus recipietur et etiam realizabitur, si non revolutionem sed vitalem evolutionem in hac materia repraesentat et pari modo talem evolutionem *vitalem*² respectu habito ad schema *de Ecclesia*, etiam pro futuro admittit.

...³ Quod n. 16 attinet *de Actione Catholica*,⁴ propono ut *numerus ita remaneat uti est. Non facile fuit aliquam assertionem invenire quae omnibus placere possit.*

*Quae in n. 16 contenta sunt post multas disceptationes et etiam post nonnullas novas propositiones, in fine consensum unanimum commissionis receperunt, opinantes omnibus expectationibus ita satisfieri. Repraesentat enim viam mediam, quae omnibus aperta est, et etiam ulteriorem evolutionem apertam relinquit.*⁵

*Ad n. 12. Quae ibi continentur, vera sunt et ubique et semper valent. Propono autem ut textus magis biblicis fundamentis, et quidem sub respectu apostolatus, confirmetur, et praeterea ut eius actualitas pro hodierno tempore extollatur. Quod primum attinet textum secretariatui trado. Quod ad actualitatem sequentia propono.*⁶

In alinea 3 laici iure et consequenter ad opera caritativa et ad sic dictam assistentiam sociale peculiariter invitantur. Quae invitatio *ita propono*⁷ ibi omnino remaneat, etsi in schemate *de Ecclesia in mundo huius temporis* de hac re agendi sit praevisum.

Nemo nescit, quot necessitates etiam in hodierno mundo existunt, e. g. uti sunt fames in multis regionibus mundi aut morbi saepe insanabiles et alii status pauperrimi multorum hominum. Pariter satis cognitum est, maioribus mediis pecuniariis tum famem cum multos morbos, quos insanabiles esse videntur, et alias necessitates devinci possint. Ex altera parte multi in rebus florentibus (in lingua germanica « Wohlstand ») vivunt, quod pro nobis unum ex gravissimis problematibus pastoralibus factum est.

Necesse ergo est, quod gravitati huius quaestionis respondeat, ut Concilium has necessitates principales, uti sunt fames, morbi et aliae graves necessitates explicite nominet, responsabilitatem pro his excitet et praepremis ad auxilia efficacia, quae magnae necessitati et hodiernae possibilitati respondeant, advocet.

Quae assistentia etiam in futuro sub directione episcoporum eorumque cooperatorum remaneat, quia ita ista immediata connexio cum personis et operibus variarum regionum exprimitur, etiamsi certe utile erit, ut Ecclesia non tantum talia opera promoveat, sed etiam auxilium suum ad rectam distributionem talium mediorum nobis praebeat.



Venerabiles Patres,⁸ mundus certe doctrinam huius Concilii admirabitur, sed iudicabit nos secundum opera nostra, quae iure exspectantur, quia sunt optima probatio veritatis et doctrinae, quas mundo *nuntiare volumus*.⁹ Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ Schema valde placet. ² deest. ³ I. Ad n. 16. ⁴ deest. ⁵ Textus de Actione Catholica respectu habito ad varias condiciones in singulis regionibus remaneat sicuti est. Certe est, quae in hoc numero de Actione Catholica dicuntur, parum esse videntur. Quot Summi Pontifices et etiam permulti episcopi de hac re loquebantur et laicos iterum atque iterum ad hunc laborem apostolicum cohortabantur! In multis regionibus Actio Catholica existit et etiam bene operatur. Pro his omnibus textus, uti iacet, fere ut delusio apparere possit. Etiam nos episcopi Austriae de hac re plura exspectavimus. Sed quia textus essentialia de hac re continet et etiam Actio Catholica expresse nominatur, ad hanc expressionem consentire possimus, quia mediam viam nobis exponit, quae omnibus aperta est et etiam laborem nostrum praesentem et ulteriorem non praepedit. Propono autem ut apostolatus Actionis Catholicae peculiariter commendetur et, si in aliquibus regionibus nomen Actio Catholica deest, res ipsa nullibi pro possibilitate desit, quamvis Actio Catholica semper ad varias circumstantias et necessitates loci et temporis sese accommodare debebit. II. Ad n. 11. Propono, ut n. 11, qui materiam non satis clare et intelligibile tum pro clericis cum pro laicis exponit, de novo exaretur et ibi praeprimis clare exponantur:

1. *Momentum apostolatus* in ordine temporali. Qui apostolatus iuxta eum pro conversione hominum necessarius est, quia homo unicus et non divisus est; quia cum ordine temporali eiusque recta instauratione apostolatus efficax conversionis hominis ad Deum intime connectitur et ab eo valde dependet; quia Verbum caro factum est, quo mysterio totus mundus eiusque ordo ad opus salutis assumptus est; quia Ecclesia est principium vitale societatis humanae, quod praeprimis laicis realizari debet.

2. *Competentia* peculiaris laicorum in hoc apostolatu quia laicus in hoc mundo, i. e. in familia, in sua vocatione et in societate vivit; quia Deus ipse eum ad hunc statum vocavit, ut ibi, participans in munere Christi sacerdotali, prophetico et regali, officium suum christianum adimpleat.

3. *Modus*, quo laicus apostolatum suum in ordine temporali adimplere possit et debeat, nempe, ut occasionibus permultis apostolatus utatur, quibus sibi vita sua in mundo praebeant; praeterea ut ad rectum ordinem in mundo condendum labore suo conducatur et ita bonas condiciones pro Evangelio annuntiando praeparat; et denique ut istud novum principium vitale cogitandi, formandi et sese gerendi, nempe Christum, mundo suo imprimat.

4. *Relatio* inter hierarchiam et laicum in hoc apostolatu adimplendo, nempe, laicus pro tali apostolatu exercendo mandato hierarchiae non indiget, sed hierarchia laicum a tali obligatione etiam relevare nequit. Hierarchiae tantum vigilantia competit, ut sana doctrina et mores boni non in periculum deveniant. ⁶ 1. Caritas pertinet ad principia fundamentalia vitae christianae et cuiusvis apostolatus, quia « Deus caritas est » (1 Io. 4, 16), quia « sic Deus dilexit mundum, ut Filium



suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam » (Io. 3, 16), quia « caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis » (Rom. 5, 5). Propterea caritas mandatum magnum Veteris, praecipue autem Novi Testamenti est; propterea christiani Sacrificium Eucharisticum cum sic dicta « Agape » coniunxerunt; propterea communitas christiana iam temporis primaevi ut confraternitas se sciebat et propterea etiam hodie testimonium christianum suam credibilitatem apud homines tantum consequitur, si istud cum caritate se abnegante, non egoistica, coniunctum est, quod tum pro singulo cum pro societate valet. 2. ⁷ deest. ⁸ deest. ⁹ nuntiamus. 3. In alinea 4 scriptum est: « Quidquid iustitiae est, urgeant, indesinenter integritatem eiusdem promoventes » (pag. 12, linn. 35 s.). Verum est quod ibi dicuntur, sed nimis breviter, ita ut non totum contentum huius phrasos in sua tota gravitate facile intelligatur. Exsistunt nempe non pauci homines putantes officii iustitiae eleemosynis satisfacere posse, obliuiscens, tali habitu-dine optimam viam revolutionibus socialibus pandere. Omnium nostrum officium est ergo, adlaborare ut omnibus hominibus ea convenient, quae e bonis terrae eis conveniunt. Nihilominus caritas semper necessaria erit, ut suppleat ea, quae hominibus modo iniusto praepediuntur, et ut opera iustitiae hominis, cuius cor non tantum iustitiam, sed etiam caritatem desiderat, quasi coronet et pro posse ad perfectionem deducat.

18

EXC.MUS P. D. SEBASTIANUS SOARES DE RESENDE

*Episcopus Beirensis**Venerabiles Patres, atque reliqui omnes,*

Imprimis schema *de apostolatu laicorum*, nunc discutiendum, mihi satis placet, ut fere ab omnibus dictum est. Attamen aliquas liceat mihi animadversiones facere relate ad puncta varia eiusdem schematis.

I animadversio titulum respicit par. 1, pag. 5, lin. 23, qui sic sonat: « De participatione laicorum in missione Ecclesiae ». Nam si laici Ecclesia sunt quia Ecclesiae membra sunt...; si Christus dixit « ego sum vitis vos palmites... »; si apostolus Paulus docuit Ecclesiam Corpus Christi esse; si laici in ecclesia semper plus minusve activi fuerunt, certum est illos laicos, eo ipso quo laici sunt, missione Ecclesiae participare debere. Ergo titulus ille idem omnino dicit quod supponitur. Idem esset si affirmaretur laicos illos, de quibus agitur, in ecclesia baptizatos esse. Ideoque videtur mihi titulum illum corrigendum esse, hac vel alia simili forma, scil. « De modo vel de dimensione participationis laicorum in Ecclesiae missione ».

II animadversio refertur ad eandem paragraphum in quo de vocatione apostolica agitur. Nam ibi affirmatur, et optime quidem, vocationem christianam vocationem esse ad apostolatum. Iamvero omnino oportet



tet profundius enucleare et evolvere fundamentum huius veritatis quae maximi momenti est pro valore et soliditate totius praesentis textus et pro actualibus conditionibus Ecclesiae. Etenim vocatio christiana vocatio est ad apostolatatum quia per characteres baptismi et confirmationis baptizati et confirmati participes fiunt sacerdotio Christi in eius triplice missione, scil., docendi, regendi et sanctificandi. Hoc dicitur in textu. Sed aliquid amplius dicendum est.

Character baptismi esse « christianum » confert baptizatis et propterea in baptizatis esse christianum est esse sacerdotale. Evidentissime de sacerdotio communi agitur et non de sacerdotio a sacramento Ordinis conferto. Sicut in Christo qui est Unctus a Patre esse Christi est esse sacerdotale, ita in baptizatis esse christianum est esse sacerdotale. Ergo vocatio christiana est omnino idem quod vocatio ad apostolatatum et consequenter apostolatus laicorum ipsam vitae christianae essentiam constituit.

III animadversio respectum dicit ad par. 2, pag. 6, lin. 23, ubi dicitur: « Imprimis spiritus apostolicus manifestatur et etiam alitur oratione praesertim participatione Sacrae Liturgiae etc. ». Nam si missio laicorum est Ecclesiae missio; si Ecclesiae missio est missio gratiae; si sacramenta vim habent ex sacrificio Crucis quod in altaris sacrificio pergit, illa missio apostolatus laicorum ut missio vitae christianae, essentialiter connectitur cum sacrificio Missae et ab eo ut prima fonte alitur et propterea hoc dicatur explicite in textu.

Praesertim specifica illa apostolatus forma, quae Actio catholica dicitur, vim et efficaciam accipere debet a conscientiae statu, quo unusquisque laicus altaris sacrificio participat et, ut ita dicam, vivat.

IV animadversio adhuc ad par. 2 fit. Si obligationis apostolatus fundamentum est ipsa essentia vitae christianae quia ipsum esse vitae christianae est ipsum esse vitae apostolicae, cur in paragrapho hac non dicitur verum esse mandamentum de hac re? Etenim ex una parte apostolatus laicorum vere in ecclesia necessarius est et ex alia parte materialismus vitae modernae et egoismus in mundo imperans saepe saepius impediunt multos apostolatus officium exercendi. Omnes non ignoramus indolem huius temporis et etiam ipsius Concilii non tolerare doctrinam exponere et mandata promulgare modo imperativo et totalitario. Sed hoc non impedit quod sacrosanctum Concilium modo claro licet suaviter declaret verum mandamentum apostolatus omnes christianos urgere ita ut aliquis non sit qui illam obligationem faciliter et sine dubio non agnoscat.

V animadversio inspicit eandem par. 2, quae de apostolatu ab omni-



bus et singulis exercendi agitur. In historico momento quod Africa hodie vivit aliquid amplius explicitè dicendum est de apostolatu laicorum in missionibus seu de cooperatione illorum ad Ecclesiam condendam regionibus illis. Licet schema habeamus « De activitate missionali Ecclesiae » videtur mihi necessarium esse in hac paragrapho breviter sed inciso modo affirmare quantum a laicis fieri possit ac debeat in campo humanistico, tecnico, oeconomico, sociali et christiano apud gentes et in territoriis, quae nunc evolutioni subiciuntur.

VI animadversio spectat ad par. 3, pag. 7, lin. 7 ss., de formatione apostolica. In re tanti momenti et in schemate qui promulgandus est a Concilio Oecumenico certe omnibus videtur loqui generice non sufficere. Et in textu nostro formatio apostolica tantum ut pars humanae et christianae formationis apparet. Formationem specificè apostolicam in laicis exigere oportet, alio modo, crisis hodierna apostolatus solutionem efficacem non inveniet. Utique temporibus nostris in territoriis pluribus Actio catholica vera et gravi crisi afficitur praesertim inter iuvenes. Ergo explicitè dicatur omnino necessariam esse formationem qua talem apostolatus laicorum. Et haec specifica formatio attingere debet non solum laicos ad apostolatum exercendum sed etiam sacerdotes ut etiam ipsi periti sint de omnibus quaestionibus apostolatus. Loquor, autem, non de sacerdotibus in genere, qui formationem saltem genericam possidere debent ut ubique verum clima psychologicum apostolatus efforment et exstruent sed de sacerdotibus illis, qui laici adsistentes erunt apud organa apostolatus. Ad hanc formationem actualem expletam audacem et efficacem obtinendam valde desiderandum est quod, Romae, apud secretariatum in servitium apostolatus laicorum de quo loquitur textus noster centrum constituatur internationale in quo a peritis vere selectis efformentur omnes illi, laici et sacerdotes, qui postea, in dioecesibus omnium continentium apostolatus laicorum parare et implere debent. Centrum hoc internationale esse poterat vera Universitas Actionis Catholicae et Pastoralis et simul...

Moderator: Faveas concludere, Pater reverende!

Orator: Ego sum praecise in conclusione. ... talis institutio constitueret in futurum verum signum vel ut ita dicam allegorice sacramentum Concilii Oecumenici Vaticani II.

Hoc vobis proponere audeo, venerabiles Patres.

Textus scripto traditus:

Aliquid breviter et simpliciter dicere intendo circa praesentem schematem, nunc discutiendum, de apostolatu laicorum.



Imprimis schema satis placet. Attamen animadversiones aliquas liceat mihi facere relate ad varia puncta eiusdem schematis.

I animadversio respicit titulum par. 1, pag. 5, lin. 23, qui sic sonat: De participatione laicorum in missione Ecclesiae. Nam, si laici Ecclesia sunt quia Ecclesiae membra sunt...; si Christus dixit: « Ego sum vitis vos palmites... »; si apostolus Paulus docuit Ecclesiam corpus Christi mysticum esse; si laici in Ecclesia semper activi plus minusve fuerunt, certum est illos laicos, eo ipso quo laici sunt, missione Ecclesiae participare debere. Ergo titulus ille dicit omnino idem quod supponitur. Idem est ac si affirmaret laicos in Ecclesia baptizatos esse. Propterea mihi videtur titulum illum esse corrigendum hac vel alia simili forma, scil.: De modo vel de dimensione participationis laicorum in missione Ecclesiae.

II animadversio refertur ad eandem paragraphum in quo de vocatione apostolica loquitur. Nam ibi affirmatur et quidem optime vocationem christianam esse vocationem ad apostolatam. Tamen oportet amplius enucleare et evolvere fundamentum huius veritatis quae maximi momenti est pro valore totius praesentis textus et pro actualibus conditionibus Ecclesiae. Etenim vocatio christiana vocatio est ad apostolatam quia per characteres baptismi et Confirmationis baptizati et confirmati participes fiunt sacerdotio Christi in eius triplice missione, scil., docendi, regendi et sanctificandi. Praeterea aliquid amplius dicendum est. Character baptismi esse christianum baptizatis confert et propterea in baptizatis esse christianum est esse sacerdotale. Evidenter agitur de sacerdotio communi et non de sacerdotio a sacramento Ordinis conferto. Sicut in Christo qui est Unctus esse Christi est esse sacerdotale, ita in baptizatis esse christianum est esse sacerdotale. Ergo vocatio christiana est omnino idem ac vocatio ad apostolatam et consequenter apostolatus laicorum ipsam vitae christianae essentiam constituit.

III animadversio respectum dicit ad par. 2, pag. 6, lin. 23, ubi dicitur: « Imprimis spiritus apostolicus manifestatur et etiam alitur oratione praesertim participatione Sacrae Liturgiae, etc. ». Nam si missio laicorum Ecclesiae est missio; si Ecclesiae missio est missio gratiae; si sacramenta vim habent ex sacrificio Crucis, quod in altaris sacrificio pergit, illa missio apostolatus laicorum essentialiter connectitur cum sacrificio Missae et propterea hoc dicatur explicite in textu. Praesertim illa specifica apostolatus forma, quae Actio Catholica dicitur, originem et vim accipere debet a conscientiae statu quo unusquisque laicus altaris sacrificio participat et, ut ita dicam, vivat.

IV animadversio ad paragraphum adhuc secundam fit. Cur in isto loco non explicite dicendum sit laicos verum mandamentum habere in ordine ad apostolatam faciendum? Non imperativo modo hoc affirmetur quia huius temporis indoles et etiam ipsius Concilii exponere doctrinam et mandamenta promulgare non tolerat nisi modo suavi et cum simplicitate. Attamen puto omnino necessarium esse hanc veram obligationem cum evidentia et firmiter declarare, ita ut omnes faciliter et sine dubio illam agnoscant.

V animadversio inspicit par. 3, de formatione apostolica. Mihi videtur quod loqui de formatione apostolica, modo generico tantum, non sufficiat. Nam, in textu, haec formatio generica ut pars humanae et christianae formationis apparet. Formationem specificam apostolicam exigere oportet, alio modo crisis hodierna apostolatus laicorum solutionem efficacem non habebit. Utique, hodie, in pluribus territoriis, Actio catholica vera crisi afficitur et praesertim inter iuvenes. Ergo



explicite dicatur omnino necessariam esse formationem qua talem apostolatus laicorum. Et formatio haec specialiter attingere debet non solum illos et illas qui in collegiis educationem accipiunt sed etiam illos et illas qui in iisdem collegiis eandem educationem ministrant. De hac necessitate expresse locutus est Ss.mus Papa Paulus VI in epistola ad catholicos Argentinae. Ad hanc formationem efficacem actualem et expletam obtinendam valde desiderandum est quod, Romae, apud secretariatum in servitium apostolatus laicorum, de quo loquitur textus, centrum constituatur internationale in quo a peritis efformentur omnes illi qui, postea, in dioecesibus omnium continentium apostolatus laicorum parare et impellere debent.

VI animadversio fit relate ad cap. III, pag. 10 ss. In capite hoc paragraphi exponuntur aliquae de obiecto apostolatus laicorum et aliis. Ego postulo quod inter paragraphum 11 quae agit de ordine temporali christiane instaurando et par. 12 quae sic sonat: De actione caritativa erga proximum, alia introducatur quae plus minusve hoc dicat: De cooperatione in Ecclesiam condendo territorii missionum. Et postea breviter sed modo inciso exponatur quantum a laicis fieri possit in campo humanistico, tecnico, economico et christiano apud gentes et territoria quae nunc evolutioni subiciuntur. Tantum cum illa nova paragrapho cap. III completum erit.

19

EXC.MUS P. D. IOSEPH RUOTOLO

*Episcopus Uxentinus - S. Mariae Leucadensis**Venerabiles Patres,*

Schema *de apostolatu laicorum*, sicut nunc exstat, mihi placet, quia est syntheticum et proponit quae sunt utilia formationi et activitati laicorum, apostolatum exercentium. Attamen tres observationes humiliter propono: 1. circa obligationem adhaerendi associationibus; 2. circa media formationis; 3. circa mutuam concordiam fovendam.

1. Schema clare affirmat officium pro laicis exercitii apostolatus, fluens — ut ipsum declarat — « ex ipsa unione christifidelium, in caractere sacramentali baptismi et confirmationis fundata, et Ss.ma Eucharistia nutrita » ...¹. Quando vero schema agit de formis associativis, non significat aperte obligationem adhaesionis. Fit sermo de libertate — et verum est — quia nemo potest cogi, sed libertas coniungi debet cum responsabilitate: unde exurgit obligatio obiectiva.

Si ita est, posset quis quaerere: Cur in Conciliis praecedentibus, praesertim Tridentino et Vaticano I, ne verbum quidem factum est de apostolatu sociali laicorum?

Facilis est responsio: nam associationes Medii Aevi vel finem habebant cultus exercendi, ut v. g. Confraternitates, etsi constitutae ad finem

temporalem assequendum, uti e. g. Collegia Opificum (vulgo « Le Corporazioni di arti e mestieri »), tamen ab auctoritate ecclesiastica directe vel indirecte dependebant.

Ex alia parte Concilium Vaticanum I non potuit hoc argumentum aggredi, quia eius celebratio interrupta est ob notas calamitates politicas. Ceterum tempore Concilii Vaticani I associationes antireligiosae erant secretae, uti secta Francomurariorum. E contra, exeunte saec. XIX et durante saeculo praesenti, plures associationes ubique exortae sunt, quarum maior pars a religione praescindit et aliae contra ipsam occulte vel aperte agunt.

Unde derivat *necessitas* constituendi associationes apostolatus — Actionem Catholicam, Legionem Mariae, etc. — et consequenter oritur *obligatio* pro veris christianis ipsis adhaerendi, si possibilitas adest. Etiam infirmi possunt esse socii alicuius associationis, ut est Apostolatus Orationis.

2. In discussionibus habitis anno praeterito plura dicta sunt de necessitate culturae et formationis religiosae et moralis pro his praesertim, qui directionem habent associationum apostolatus. Favente Deo, nonnulla incepta exorta sunt: nam fundata sunt nonnulla Seminaria catechistarum et alia Instituta pro cultura christologica laicorum.

In schemate possunt adiungi hortationes pro laicis, qui nequeunt accedere ad *centra*, de quibus fit sermo in schemate ...². Duo humiliter propono:

A) Promoveantur in dioecesibus et in regionibus frequentes Conventus praepositorum apostolatus associationibus, ut ipsi plene discant ex mutua experientia et ex peculiari cultura eorum, qui docent in *Centris*, quae magis idonea censentur ad activitatem proficuum explendam.

B) Ad formationem religiosam et moralem dirigentium et sociorum fiat singulis annis praxis exercitiorum spiritualium pro unaquaque categoria, quibus unusquisque libere, et possibiliter gratuito, possit accedere. Nam saepe apostoli laici, sicut olim apostoli Iesu Christi, sunt defatigati — aiebat enim S. Marcus « veniebant et redibant multi, nec spatium manducandi habebant. Tunc dixit ipsis Iesus: Venite seorsum in desertum locum et requiescite pusillum » ...³. Commissio non putavit opportunam hanc hortationem, sed humiliter et instantissime peto ut fiat explicita incitatio huius Sanctae Synodi ad magis diffundendam providentialem usum, qui maximum profectum affert associationibus catholicis.

3. Pro mutua caritate fovenda. Schema hortatur ad « unitatem spiritus in vinculo pacis » ...⁴ promovendam inter associationes...⁵



Puto aliqua adiungenda eo quod saepe iurgia et dissensiones oriuntur inter associationes paroeciales ob individualismum vel falsam aemulationem, praesertim quando nonnullae ex ipsis dependent a religiosis familiis et aliae a parochio loci. Duo puto remedia proponenda:

A) Aestimatio reciproca, quia omnes associationes catholicae essentialiter eundem finem attingunt, uti aiebat Pius XII, die 10 martii 1955 parochis et praedicatoribus: « non è lecito, diceva, considerare i vessilli, sotto il quali i fedeli si raccolgono, o i distintivi, che portano, purché siano benedetti dalla Chiesa. Sia il benvenuto chiunque si offre ad aiutarvi. Il campo di Dio è vasto e le esigenze della coltivazione sono innumerevoli ».

B) Frequentiores conventus sociorum diversarum associationum pro efficiendis inceptis in peculiaribus circumstantiis, ut e. g. occasione praeparationis festi Patroni, vel missionis popularis, vel congressus eucharistici etc.

Quod Sancta Synodus innuit de *consiliis* in ambitu dioecesis vel paroeciae, potest extendi ad ipsas associationes paroeciales.

Iuvamen maximum ex mutua caritate obtinebunt familiae, communitates paroeciales et ipsum Corpus Christi mysticum, quod est Ecclesia. Dixi.

In textu scripto tradito: ¹ (pag. 6). ² (n. 3, pag. 8). ³ (Mc. 6, 13).
⁴ (Eph. 4, 3). ⁵ (n. 20, pag. 17).

Moderator: Proxima congregatio generalis erit feria II, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.